De Quinti Smyrnaei fontibus ac mythopoeia.

Dissertatio Inauguralis
quam
consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis
in universitate Christiana Albertina Kiliensi
ad summos in philosophia honores rite capessendos
una cum thesibus
die XXVI mensis Junii anni MDCCCLXXXXI
hora XII in aula academica maiore
publice defendet

Franciscus Kehmptzow
Vismariensis, Megalopolitanus.

Adversariorum partes suscipient:
Fridericus Reimers, cand. rev. min.
Ericus Klostermann, cand. phil. et theol.
Reinholdus Hess, cand. mag. sup.

Kiliae.
Ex officina H. Fiencke.
MDCCCLXXXXI.

No. 4.
Rectoratus 1891/92.

Imprimatur:
O. Krümmel,
h. t. decanus ord. phil.

In Memoriam

Matris Carissimae

Ac

Avi Optumi.

Quaestio, quibus ex fontibus hauserit Quintus Smyrnaeus, epicus ille quarti saeculi post Christum natum, cujus »Posthomerica« benigno fato nobis servata sunt, adhuc soluta non est. Nam Tychsenius, qui vir doctus edidit Quintum 1807 Argentorati, etsi accuratius sectione tertia praefationis disseruit de auctoribus, quos secutus esse videretur poeta in fabulis tradendis, tamen ad bonum exitum rem non perduxit. Existimat enim — atque Heynius, qui Tychseni editioni observationes addidit, ei assentitur — omnia sua hausisse Quintum ex carminibus cyclicorum epicorum, quae ad res Trojanas spectant. Tamen ita poetam haurientem facit, ut concedat multa eum mutasse, nonnulla aut addidisse aut omisisse. Sunt vero carmina illa, quae Quintum ante oculos habuisse iudicat: Aethiopis Arctini Milesii et Ilias parva Leschis, in enarrando vero Troiae excidio non unum auctorem secutus esse, sed e diversis cognati argumenti carminibus pro suo consilio hausisse ei videtur. Quam sententiam Koechly in Prolegomenis editionis suae maioris (1850 apud Weidmannos) recte refutavit. Comparato enim Quinto cum Proclianis argumentis carminum cyclicorum intellexit poetam nostrum cum cyclicis non consentire nisi in iis rebus, quas illi cum ceteris omnibus fabularum auctoribus haberent communes, discrepare vero, ubicunque singulares fabulas proposuissent, a recentiorum imitatione alienas (Proleg. pag. X.) Itaque in eam sententiam abductus est Quintum neque carmina cyclicorum imitatum esse neque illorum in componendis suis ullam habuisse rationem, cum prorsus illis temporibus e memoria hominum evanuissent. [1])

---

[1]) Haec res saepe neglecta est. Tamen temporibus Quinti carmina cyclicorum ipsa sine ullo dubio iam dudum perierant cf. Ud. de Wilamowitz-Möllendorf »Homerische Untersuchungen« II 4 »Der epische Cyclus« pag 353/354. Multi viri docti vero de hac re non satis certos se fecerunt, ex. gr. Lucken-

Alium vero fontem invenisse sibi videbatur multis locis summa cum subtilitate comparatis, dico Homerum (Prol. § XV pag. 27 sq.). Omnia, quae ille in transcursu tetigisset — alias enim res pertractat Homerus — Quintum diligenter religioseque in suum usum convertisse putat, ut, si Koechlyo adstipulemur, recte dicere possimus Quinti carmina esse »*τεμάχη δείπνων Ὁμήρου.*« Adumbraverat iam hanc opinionem Th. Struvius in dissertatione, cui nomen est »De argumento carminum epicorum, quae res ab Homero in Iliade narratas longius prosecuta sunt« part. I Petrop. 1846 — »adumbraverat« dico, nam etiamsi multa congessit ille vir doctus, tamen desidero certam iudicandi rationem. Ne obliviscamur vero de Quinti fontibus scribere noluisse Struvium. In altera dissertationis particula, quae prodiit Kasani 1850, uberius exposuit, quid de Quinti fontibus existimet. Statuit enim Quintum non anxie secutum esse poetarum antiquorum narrationes, sed semper ad Homeri primarium fontem redisse, ubi aut aliquid a recentioribus bene novatum addidisset aut nonnulla omisisset. Si recte interpretor Struvium, ex omnibus fere poetis, quos cognovisset, nonnulla sumpsisse vult Nostrum, semper vero id agentem, ne magnopere ab Homero discederet.

Hanc sententiam, quam protulerunt Struvius et Koechly, quam ob rem probare non possim, nunc demonstrabo paucis ac docebo non semper recte Koechly comparasse in Prolegomenis locos Homericos cum Quintianis.

Quintus inprimis operam dedisse mihi videtur, ut spatium inter Iliadem et Odysseam intermissum expleret.[1]) Hoc apparet ex initio et fine Posthomericorum. Adjungit enim poeta carmen Iliadi:

»*εὖϑ ὑπὸ Πηλείωνι δάμη ϑεοείκελος Ἕκτωρ* (Il. lib. XXII)
καί ἑ πυρὴ κατέδαψε (Il. XXIV 787—791) *καὶ ὀστέα γαῖα*
κεκεύϑει (Il. XXIV 792 - 98)

---

bach »Verhältnis der griech. Vas. zu d. Gedichten des epischen Cyclus.« J. J. Suppl. Bd. XI, qui, etsi p. 615 ann. 5 recte monet: »Dass Quintus Smyrnaeus die Psychostasie kennt, kann natürlich nichts für den Arctinos beweisen«, tamen aliis locis ex Quinto ausam quaerit restituendorum carminum cycli epici (pag. 614. 615.)

[1]) Quae carmina sola illis temporibus supererant et diligenter praecipue in scholis lectitabantur.

ut videmus, leviter stringens, quae autecesserunt.[1]) Et sub finem operis (XIV 629—31) legimus:

»αὐτὰρ Ἀθήνη
ἄλλοτε μὲν θυμῷ μέγ' ἐγήθεεν, ἄλλοτε δ' αὖτε
ἄχνυτ' Ὀδυσσῆος πινυτόφρονος, οὕνεκ' ἔμελλε
πάσχειν ἄλγεα πολλὰ Ποσειδάωνος ὁμοκλῇ.«

Haec verba ad totius operis finem male quadrarent, nisi Quintus alludere voluisset ad illud carmen, quod subsequitur i. e. Odysseam. Hanc vero ob causam imitatur Homerum in describendis pugnis, ludis funebribus, contionibus, in exornandis orationibus, multis aliis rebus, nam cum Homero volebat carmen suum conjunctum esse atque una cum eo lectitari; et imitatorem Homeri fuisse Quintum ego quoque libenter concedo. Quid autem? Nonne magnum interest inter »imitari« et »haurire«? Imitari potuit Homerum Noster, non ex eo haurire. An ullam Posthomericorum fabulam apud eum copiose narratam invenit? Minime! Nonnullae enim fabulae, de quibus hic agitur, ibi nisi in transcursu tactae non sunt, permultae vero ne verbo quidem commemorantur. Quo loco e. gr. apud Homerum invenitur Oenona, quo Penthesilea, quo Nauplius, quo multi alii, quos enumerare longum est? Deinde vero falsum est dicere anxie sequi Quintum narrationes Homeri. An apud Homerum (Il XIX 416 XXII 359) non ab Appolline et Paride interficitur Achilles, apud Quintum ab Apolline solo?[2])

---

[1]) At tamen, ut poetae libertatem atque dignitatem servet, non ut famulus Homeri, quod ille coepit describere, ad finem perducit neque statim ad propositum accedit, sicut Arctinus in Aethiopide, »ὣς οἵγ' ἀμφίεπον τάφον Ἕκτορος, ἦλθε δ' Ἀμαζών«, sed demonstrat, ut ita dicam, suum opus per se quoque posse legi atque unum continuum esse, repetens res ab Achille egregie gestas, quas iam Homerus in Iliade descripsit (cf. v. 9. μνησάμενοι etc.) Jure igitur hac de re idem dici potest, quod Koechly Prol. pag. 49 de dictione Quinti pronuntiavit »A centonum sartoribus eorumque operibus musivis longe remotus est.

[2]) Equidem non ignoro tertio loco ab Homero alteram fabulae de Achillis morte formam indicatam videri cf. Il. XXI 277.

»ἥ μ' ἔφατο Τρώων ὑπὸ τείχεϊ θωρηκτάων
λαιψηροῖς ὀλέεσθαι Ἀπόλλωνος βελέεσσιν.«

At tamen nonne fortasse haec versio Homeri cum altera potest esse congruens? Achilles enim ipse hoc loco loquitur ac, ne multa verba faciat, dicit fore ut interficiatur telis Apollinis, non ab Apolline et Paride. Nam Apollo in necando Achille primas partes agit. Ceterum »βελέεσσιν Ἀπ.« non idem est, quod »ὑπ' Ἀπόλλωνος.«

Quam saepe ab Homero discesserit Noster, magis patebit, cum singulas fabulas ejus perlustraverimus. Hoc unum moneo cavendum esse tibi, ne ibi similitudines quaeras, ubi Koechly locos Homericos et Quintianos comparavit. Persaepe enim illis non similitudo exstat, sed prorsus dissimilitudo, ut fatear me non intellegere, quomodo tali praeiudicata opinione ille vir doctus abripi potuerit. Exempli causa proferamus locum quendam de Penthesilea I 21—32. Quintus, ubi narravit Penthesileam auxilium Troianis ferentem advenisse, causam addit, propter quam illa patria cesserit:

»καὶ μέγ᾽ ἀλευομένη στυγερὴν καὶ ἀεικέα φήμην
μή τις ἑὸν κατὰ δῆμον ἐλεγχείῃσι χαλέψῃ
ἀμφὶ κασιγνήτης, ἧς εἵνεκα πένθος ἄεξεν
Ἱππολύτης· τὴν γάρ ῥα κατέκτανε δουρὶ κραταιῷ
οὐ μὲν δή τι ἑκοῦσα, τιτυσκομένη δ᾽ ἐλάφοιο«

Koechly de hac re ait (Prol. p. XXVII § 15.) : »Causam, ob quam Penthesileam advenientem facit, ex Homero sumpsit, ubi saepius homines inducuntur ob caedem involuntariam fugitivi.« Loci vero Odysseae, quos comparandi causa attulit ad v. 22, φ 323 et ζ 273, etsi idonei sunt, ut demonstrent Quintum, quod ad dictionem pertineat, imitari Homerum, tamen inter sensum horum et Quinti locorum ne minima quidem exstat similitudo. Neque cum nostro loco Homeri locus ille de Phoenice Il IX 447 debet comparari. Neque enim propter caedem, sed propter incon cessum amorem Phoenix fugit. Atque — ut rem usque ad finem tractemus — ne ultimus quidem locus, quem attulit Koechly, Il XXIV 480 ad nostrum quadrat:

»ὡς δ᾽ ὅτε ἄνδρ᾽ ἄτη πυκινὴ λάβῃ, ὅστ᾽ ἐνὶ πάτρῃ
φῶτα κατακτείνας ἄλλων ἐξίκετο δῆμον«

»φῶτα« i. e. virum quendam incognitum ille necavit, necavit certe voluntario, non invitus, Penthesilea autem casu quodam sororem ipsam in venatione interfecisse narratur.

Videmus igitur non satis acriter Koechly locos illos ad comparationem elegisse. Unum vero accedit, quod prorsus refutat opinionem ejus hoc loco Nostrum sua sumpsisse ex Homero. Est testimonium Servii ad Aen. I 491. Penthesilea furens. »furentem ideo dixit, quia sororem suam in venatione confixit simulans se cervam ferire.« Si hunc locum noverat Koechly

oportet eum putasse Servium ipsum eodem modo singulari ex Homero hausisse, quo nihil falsius atque ineptius. Testatur locus ille exstitisse fabulam de caede sororis germanae etiam ante Quintum, errasse vero Koechly, cum existimaret »*κατὰ ἀναλογίαν*« eam fictam esse a Quinto ipso.

Sed de Koechly hactenus. Nuper vero exstitit Paley quidam, qui commentariolo, cui nomen est »Quintus Smyrnaeus and the Homer of the tragic poets« (ed. II. London 1879) demonstrare studuit Quintum non ex Homero, ut nobis sit traditus, hausisse, sed et Quintum et nostrum Homerum (»our Homer«) excerpsisse cyclicorum carmina, ita ut Posthomerica atque Ilias et Odyssea, haec tria carmina, quasi stirps cycli epici nominari possint. Nam ea praeiudicata opinione ad rem tractandam aggreditur Homerum nostrum non ante Platonis tempora ex cyclicis carminibus esse confectum.[1]) Si nunc eum refellere conor, ne quis mihi hoc laudi tribuat, valde peto. Nil enim hac re facilius, quia argumentandi ratio ac iudicium eius prorsus indigna sunt vero philologo. Tamen necesse est virum illum impugnare, ne sententiae illae perversae, quas gloriatur iam in Germania esse laudatas (p. 33. ann. 6.), magis magisque in nostrorum philologorum ordinem irrepant. Paley nominat Posthomerica Quinti »an epitome from the Cyclus« et pergit dicere: »Whoever the poet was and wherever he lived, it is certain, that he has handed down to us — how far altered or re-arranged, we cannot positively say — the very poems which Vergil and Propertius repeatedly translate and which were even known four centuries earlier to Sophocles and Euripides and probably even to Aeschylus and Pindar (pag. 2).«

Comparat igitur multos locos Quinti cum tragicis, Propertio, Vergilio. Primum ubique fere nullam aliam similitudinem in locis comparatis conspicio, nisi quod ambo auctores de eadem re verba faciunt [2]), deinde vero etiamsi similitudines quasdam ag-

---

[1]) Hanc sententiam exposuit dissertatione, quae inscribitur: »Homeri quae hodie exstant, an reliquis cycli carminibus antiquiora jure habita sint.« Hoc opusculum ego non legi.

[2]) Il. III 198 »*ἤματι τῷ, ὅτε· τ'ἦλθον Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι*« putat esse »a brief allusion«, qua demonstretur notum fuisse auctori Iliadis Penthesileam subsidio venisse Troianis. Ne Homerum quidem intellegit Paley, versus

noscimus, quid ex iis sequitur? Vergilius, Propertius, tragici suntne idem, quod cyclus epicus? Nonne Propertius atque Vergilius ex Alexandrinis quoque rivulis multa deduxerunt? Atque, quantum tragici in suum usum converterint ac variaverint, quis est, qui nesciat! Si quid de cyclo epico scimus, id non ex Vergilio, Propertio, tragicis enucleare possumus, sed ex fragmentis imprimis illorum carminum atque ex argumento Procliano. De his erat quaerendum, utrum cum Quinto consentiant necne [1]), hanc unam vero rectam viam plane neglexit Paley.

Vidimus duas sententias, quae adhuc prolatae sint, nihil valere ad expediendam quaestionem de fontibus Quinti Smyrnaei, neque ex cyclicis Noster prodisse potest, neque ex Homero solo. Alii ergo auctores inveniendi sunt, quos legit Quintus, excerpsit, secutusque est. Etsi haud ignoro hoc mihi penitus contingere non posse et valde timeo, ne tanto labori imparem me praebeam, tamen conabor pro me symbolas nonnullas dare, ut Quinti fontes melius perspiciantur. Sed priusquam ad propositum nos accingamus, paucis dicendum est de Udalrico de Wilamowitz, qui vir doctissimus in libro, cui nomen est »Homerische Untersuchungen« nuper hanc quaestionem, ut solet, breviter ac strictim tetigit. Ait enim. p. 335. 36 (excurs. prim. »Der epische Cyclus«): »Am Ausgang der Zeit, in welcher die antike Philologie wirklich lebte, sind die alten Epen — um ihres Inhalts willen ausgezogen worden, der Inhalt aber in eine fortlaufende Erzählung verwandelt. (Has narrationes pedestri sermone compositas nos vocamus »ὑποθέσεις«). Von diesen Auszügen liegt uns ein für seine Zeit jedenfalls sehr untergeordneter Niederschlag in dem ilischen Täfelchen vor, der uns wertvoll ist, weil er aus bestimmter und verhältnissmässig alter Zeit stammt. Nach einem oft wiederholten

---

ille enim non ad hanc rem spectat, sed ad impetum, quem antea in Phrygiam fecerunt Amazones contra Priamum pugnantes. Loci Q. XII 421 et Aen. II 245, quos ille comparat, mimime prorsus similes sunt, sed exstat dissimilitudo quaedam satis magna:

Aen. l. c. »pedibusque rotarum subiciunt lapsus« (sc. Troiani).
Q. l. c. »ἐπεί ῥα οἱ ἐσθλὸς Ἐπειὸς
ποσσὶν ὑπὸ βριαροῖσιν ἐύτροχα δούρατ᾽ ἔθηκεν.«

Sed haec sufficiant.

[1]) Sicut Struvius et Koechly fecerunt.

Processe der Verkürzung und Überarbeitung erscheinen dieselben Auszüge uns wieder am Ende des Altertums bei Proclus. In andrer Brechung, verquickt mit manchen andern mythologischen Auszügen begegnen sie uns in den mythologischen Handbüchern der Kaiserzeit, bei dem falschen Apollodor und dem falschen Hygin.« Et cf. 336 ann. 5: »Auf solche Hypothesen der Posthomerica geht Quintus zurück.«

Vellem hanc rem demonstrasset potius copiose ac rationibus firmasset, neque leviter strinxisset. Ego quamquam non ignoro granum quoddam veritatis inesse in verbis eius, tamen plane assentiri ei non possum.

Illae enim »ὑποθέσεις«, de quibus cogitat Wilamowitzius, certe non tam extensae ac copiose narratae erant, ut Quintus omnia sua ex iis haurire posset. Hoc nos monent hypotheses tragoediarum Graecarum, etiamsi valde mutilatae ad nos pervenerunt. Ceterum id quoque Wilamowitzio obiciendum est — quod constat — Quintum cum Proclo minime consentire. Itaque vereor, an Quinto talem mythographicum fontem primarium adrogare possimus, qui ad eosdem auctores redeat ac Proclus. Aliud accedit. Multas fabulas apud Quintum invenimus, quae non ad Posthomerica spectant, sed tantum exornandi causa a poeta carmini immixtae sunt. (Ex. gr. nuptias Pelei et Thetidis saepe commemorat III, 98 sq. IV, 48 III, 457 III, 610 V, 338—44.[1]) Orpheus nominatur III, 638, Hercules et res ab eo gestae IV, 448 VI, 230 235. V, 645 VII, 106, Enceladus Gigas V, 642 XIV, 582. Et cf. X, 189 Argeiphontes, Phaethon, Perseus, Prometheus, IV, 388 Theseus).

Itaque Wilamowitzius judicium aliquantulum dilatare debuit, ut statueret non singulas ὑποθέσεις fuisse ante oculos Quinto, sed libellum mythicum, qui alias quoque ac troianas fabulas amplecteretur. Neque vero in mediam rem eamus praeiudicata opinione occaecati. Postea Wilamowitzii sententia accuratius erit examinanda. Nunc — sententiis ceterorum virorum doctorum perlustratis — haec praemonenda mihi esse videntur.

---

[1]) Concedo nuptias illas in hypothesibus Cypriorum commemoratas esse cf. Schlie. Zu den Kyprien Waren 1874 Gymn.-Progr., certe autem non ita copiose ibi narratae erant ut apud Quintum, qui poeticum fontem in hac re inspexisse videtur.

Cum poetae alicuius fontes enucleare studemus, opus est scire nos, quibusnam temporibus poeta ille vixerit, ut inde melius perspiciatur, quosnam auctores ante oculos habere potuerit, qua doctrina mythologica fuerit imbutus, quibus rationibus ex more temporum redundantibus in componendis ac variandis fabulis ductus sit. Hanc viam vero terere opus non erit, quia omnia de poeta atque aetate eius bene composita inveniuntur apud Tychsenium Prol. Sect. I et Koechlyum Prol. Lib. I Cap. 1. Satis habeo statuere eum ante Nonnum fortasse Juliani temporibus floruisse ac fuisse doctissimum grammaticum habitantem quasi in mythologia Graeca ac bene peritum legum poeticarum nec non artis metricae. Itaque falso quis concluserit ex versibus XII, 308 sqq., quibus poeta testatur se oves apud Smyrnam pavisse, Quintum fuisse pastorem. Certe naturae fuit valde amans, quod ex similitudinibus, quibus utitur, apparet. (cf. Niemeyer »Über die Gleichnisse bei Quintus Smyrnaeus« I. II. Gymn. Progr. Zwickau 1883 und 1884), neque vero hac ex re sequitur eum puerum oves pavisse. Erraverunt igitur Koechly, qui ait Prol. pag. III »Accurata locorum designatio clare nos admonere videtur veram hic, non fictam indicari poetae oves pascentis pueritiam, quo in negotio quidni poterat ei subnasci poeticae venae instinctus eodem modo, quo idem aliis accidisse scimus.« et Christ Griech. Lit. Gesch. pag. 578 »Die Gleichnisse lassen den ehemaligen Hirten erkennen, der mit der Natur Kleinasiens zusammengelebt« Contra locus ille, quem supra attulimus, nihil aliud est nisi Hesiodi imitatio cf. Theog. v. 20 sq.:

»αἵ νύ ποϑ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν,
ἄρνας ποιμαίνονϑ' Ἑλικῶνος ὕπο ζαϑέοιο.«

Atque Quintum a puero esse bene eruditum in omni genere artis ac scientiarum ex tota carminis indole manifestum fit. Certe in scholis legit et tractavit antiquos poetas, praecipue Homerum, inde magna cupido eos imitandi. [1]) Cum vero poetas legeret,

---

[1]) Praeter Homerum multos poetas legisse Quintum negat Koechly, cum de dictione eius loquitur. Ait enim Prol. p. 49: »Multiplici et diffusa multorum poetarum lectione vix Quintum excelluisse etiam hac observatione firmatur.« Quam prave hoc iudicatum sit, postea apparebit, cum de tragicis et Alexandrinis disseremus.

nonne etiam scholia, quibus loci obscuri poetarum illustrabantur, legere poterat atque excerpere?

Venit mihi hic in mentem locus quidam dissertationis Bethii (Quaestiones Diodoreae mythographae Göttg. 1887), ubi ille statuit fontem mythographicum Diodori, Apollodori, Hygini scholia Apolloni Rhodii excerpere non potuisse, quod saeculo primo medio compendiosa fabularum doctrina nondum exaggeraretur. Hoc fortasse concedemus, etiamsi prorsus probatum non est, nam omnibus temporibus inde ab Alexandrinorum aetate philologi doctrinam suam quam maxime expromere studuerunt, at tamen apud Quintum res aliter se habet. Ille saeculo quarto sane libros poetarum legit, quibus ubera scholia ad historiam fabularem pertinentia adjuncta erant. Quid mirum, si, quid sibi idoneum esse videretur elegit? Hoc loco nonnulla quoque optime addi possunt de Wilamowitzii sententia, qui primus de mythographico fonte Quinti cogitavit. Cum enim in scholis illis temporibus ex mythicis libellis inprimis rudimenta mythologiae discere consuevissent pueri, quidni ex tali compendio rivulos suos deduxisse Quintum putamus? Quodsi vero illos mythographos, qui de bello Trojano quoque aliquid memoriae prodiderunt ac nobis servati sunt, perlustramus, certe neminem inveniemus, quem ante oculos habuisse Quintum iudicemus. Ex Apollodori, quae fertur, bibliotheca paucissima, quae ad res Troianas pertinent, fragmenta supersunt, tamen, etiamsi plura exstarent, eam a Quinto inspectam esse certe negaremus, neque enim est dubium, quin illae partes operis, quae perierunt, simili modo quo apud Hyginum narratae fuerint.[1]). Hyginus vero

---

[1]) Cum hanc dissertationem typis iam mandaturus sum, mihi in manus incidit liber Ricardi Wagneri, qui inscribitur: »Epitoma vaticana ex Apollodori bibliotheca« (Lips. Hirz. 1891) nec non commentatio, quam conscripsit A. Papadopulos-Kerameus de novis Apollodori bibliothecae fragmentis Sabbaiticis a se inventis, inserta museo Rhenano 1891, pag. 161 sqq.

Omnibus quae ibi traditae sunt fabulis accurate cum Quinto comparatis nunc in universum mihi iudicanti etiam clarius apparere videtur Quintum mythographico fonti maximam partem fabularum debere (nota multis locis eum congruere cum Apollodoro; ex. gr. ibi quoque causa illa affertur, cur Penthesilea Troianis auxilio venerit. Deinde cf. enumerationem eorum, qui in certaminibus funebribus Achilli factis vicerunt frg. Sabb. l. c. pag. 171, 20: *»τιθέασι δ'ἐπ' αὐτῷ ἀγῶνα, ἐν ᾧ νικᾷ Εὔμηλος ἵπποις, Διομήδης σταδίῳ»*

tam pauca et dispersa de his rebus praebet, ut incredibile plane videatur, quanam ratione ex illis brevibus annotationibus, ut ita dicam, totum Quinti carmen oriri potuerit. Neque aliud dici potest de Dictye et Darete. Dictyis *Ἐφημερίδας*, quae perierunt, vertisse in linguam latinam Septimium quendam constat. Haec versio latina quarti saeculi p. Chr. ad nostra tempora pervenit. Daretis opusculum »de excidio Troiae« certe ortum est medio quod dicitur aevo, quamquam auctor se ipse appellat Cornelium Nepotem. Sed quantopere haec opera distant a simplici narrandi ratione Quinti, qui semper id potissimum egit, ut Homericum colorem aspergeret carmini suo! Apud Dictyem Daretemque non conspicimus certamina heroum ante Troiam sed pugnas historicorum more ieiune descriptas. Quo modo acies instruatur, quo quisque loco collocatus sit, quantus numerus copiarum interfuerit pugnis, hae res omnes militari ratione verbose narrantur, omnes fabulae ad vitae communis rationes detorquentur. Itaque vel inde primo obtutu cuique, qui illos scriptores mediocris ingenii cum Quinto comparavit, manifestum fit plane diversos eos esse neque alterum ab alteris pendere. Sed non solum forma narrandi distat a Quinto, verum etiam fabulae prorsus alio modo narrantur. Exempli causa, ut nonnulla commemorem, Aiax moritur Troia iam diu capta. (Hanc fabulam, quam ob rem Dictys vel auctor, quem ille sequebatur, immutaverit, puto ex hac deliberatione apparere: Primum facilius intelligi potest Aiacem prae Ulysse neglectum esse, cum de Palladio uni ex Graecorum ducibus assignando ageretur, quia Ulysses ipse imaginem rapuerat. Alteram vero causam Dictys ipse videtur afferre, cum ait: »Quae si ante cap-

---

Αἴας δίσκῳ, Τεῦκρος τόξῳ.« Laocoon, ut apud Quintum, a serpentibus ipse non interficitur. Nego vero ullo modo demonstrari posse aut Apollodorum ipsum fontem Quinti esse aut Apollodorum et Quintum ad eundem fontem i. e. epitomam carminis cyclici redire. Respiciendum enim est, quantopere dissentiat Noster ab Apollodoro. Ibi Penthesilea Machaonem occidit, Achilles a Paride et Apolline interficitur, Aiax insanit, Philoctetes advenit, antequam Neoptolemus arcessitur. Has difficultates vero non tolles, si cum Wagnero l. c. p. 206 existimaveris Quintum omnia, quae ab Homeri forma recederent, in illius similitudinem deflexisse. Itaque refutari posse quod dico scil. Quintum inspexisse libellum mythicum, in quo praeter troicas aliae quoque fabulae exstarent, nemo mihi persuadebit.

tum Ilium accidere potuissent, profecto magna ex parte promotae res hostium ac dubitatum de summa rerum fuisset.«) Nemo apud eum in equo ligneo inest. Astyanax non interficitur, Antenor prodit Troianos etc. Multo magis mirae fabulae apud Daretem exstant. Penthesilea auxilio venit post mortem Achillis et Aiacis atque a Neoptolemo occiditur. Aiax in pugna a Paride necatur. De equo ligneo nil tradidit. Sed haec hactenus!

Neque ad Ioannis Malalae »*Χρονικόν*« respicere debemus. Malalas enim saeculo fere sext. vixit. Inspexit eum Tzetzes, ipse Dictyem Daretemque sequitur. Illi tres scriptores igitur — Dictys, Dares, Malalas — plane a ceterorum mythographorum genere separandi sunt, neque ullo modo cum iis componi potest Quintus.

Dixeris forsitan valde incredibile esse omnino compendium fabulare inspexisse Quintum, quod omnia illa compendia minime latum ambitum haberent, sed breviter contraherent narrationes poetarum, ut ex hypothesibus ex. gr. apparet. Sed rene vera haec ita se habent? Nonne fortasse mythographi exstitere, qui uberius fabulas Troianas narraverunt? Sane Dionysii illius Scytobrachionis epitome fabularum amplior atque maior erat quam libri mythographorum, qui nobis servati sunt, si modo recte putamus eum fabulas singulas enumerasse copiosa disputatione saepissime veterum auctorum testimoniis appositis. [1]) Neque illud quisquam negabit Dictyem quoque, etiamsi nimis rationibus pragmaticis utatur, redire ad verbosam narrationem de Troiae excidio.

Itaque quaeramus nunc in dissertatione, quid debeat Quintus poetis, atque hanc materiem ita instituendam atque dividendam esse censeo, ut primum de Homero, tum de tragicis, denique de Alexandrinis dicam. Deinde vero demonstrandum erit, num vestigia quaedam scholiorum a Quinto excerptorum inveniantur, atque utrum ad quandam verisimilitatis speciem redigi posse videatur Quintum inspexisse fontem mythographicum necne.

---

[1]) cf. Ed. Schwartz De Dionysio Scythobrachione diss. Bonn 1880 pag. 58. 59, contra quem disputavit Ericus Bethe Quaest. Diod. mythogr., non suo jure, ut mihi videtur. Ait de Dionysio pag. 15 »Non refert Argonautarum fabulas a populo inventas et carminibus constitutas, quas modo ad communis vitae rationem detraxisse putatur, sed ipse poetae iure usus sive fabulas antiquitus notas immutat sive prorsus novas comminiscitur.« Hanc

Cap. I

De Homero.

Jam supra statuimus primarium fontem Quinti — quod ad ormam atque indolem totius carminis pertinet — semper manere Homerum. De hac imitatione Homeri Koechly in Prolegg. tam diserte egit, ut non opus sit hanc rem repetere.[1]) Iterum vero moneo, ne quis nimiam credulitatem offerat illi viro docto, saepe enim locos componit, qui secundum sensum valde distant. Huic sententiae fidei faciendae gratia nonnulla affere non placet, iam supra de ea re dixi. Sane in construendo toto opere Homerum quasi ducem sequebatur, materiem vero, qua ad construendum utebatur, aliunde sumere ei opus erat. Conferas velim locum Quinti de Ganymede Jovem pro patria implorante, ubi clare perspicitur, quo modo imitatus sit Homerum. Legerat Iliadis libros V et XX, et quia optime ei placebat narratio de nebula pugnantibus circumdata (V 311 sq. XX 321 sq.), simile quid in suo opere describere constituit. Haud procul vero ab illis locis invenit Ganymedem commemoratum (V 566 XX 32) (praeterea cf. XX 215 sq. cum Q. Sm. VIII 432 »τεῆς ἔξ εἰμι γενέθλης.«), itaque illas duas res speciosissime atque elegantissime coniunxit — at alio fonte usus nempe Euripide, ex quo didicit, quasnam partes Ganymedi in hac pugna tribueret (De hac re postea, cum de tragicis disputabo, plus erit dicendum.)

Alius ad nostram quaestionem maxime idoneus locus est I 123—127, ubi Quintus de somnio Penthesileae loquitur. Certe somnia, quae apud Homerum exstant, lectori in mentem veniunt, ac bene fecit Koechly, quod cum hoc loco composuit Il II 4 sqq. 35 sqq. Tamen non mera imitatio Homeri exstat hoc loco, neque unquam Quintus somnium quoddam inseruisset huic parti carminis, nisi rem et alibi eodem modo tractatam invenisset. Apparet hoc

---

sententiam mihi non probavit Bethius; Diodori testimonium III, 66 abici non posse mihi videtur.

[1]) Cf. Koechly Prol. Cap. II, pag. 49 »In numeris eam legem secutus est, ut, quaecunque apud Homerum constanti usu sancta essent, ea non solum ipsa reciperet, sed etiam admixtis, quae cognata et vicina essent, amplificaret. Prorsus eandem legem in conformanda dictione sibi scripsit.« De hac Quinti dictione pauca infra addam.

ex ea re, quod Tzetzes quoque (Posth. v. 120) somnium illud exhibet. Sed plane aliter res apud eum narrata est. Penthesilea non patrem conspicit, ut apud Nostrum, sed Otreram matrem et »ἄνδρα ἄγριον πίσσῃ ἐειδόμενον χροίην«, quem Orcum esse verisimile est (cf. Jacobsii annotationem ad. v. 133). Deinde Tzetza auctore Juno somnium mittit, non Minerva. Mirum illud atque vituperatione dignum! Juno enim amica Graecorum est sicuti Minerva. Ibi vero somnio dea deterrere vult Penthesileam a pugnando, apud Quintum decipere et ad pugnandum inflammare. Hanc Tzetzae narrationem ex Quinto non fluxisse nemo negabit. Itaque inspexit Quintus alium fontem quo usus imaginem Homero simillimam pinxit. Sin vero ex me quaesiveris, qualis ille fons fuerit, respondebo: libellus mythicus, in quo fortasse nihil aliud inveniebatur nisi »apparet somnium Penthesileae.« Quod alius poeta alio modo exornavit; dubitari vero nequit, quin Quinti exornatio praeferenda sit Tzetzae. Neque de Andromacha Penhesileae maledicente ac de pugna dehortante (I v. 98—117), neque de precatione Priami (I 182—204) quidquam apud alios scriptores inveni — sane concedo Homericam hic exstare posse imitationem (cf. Koechly pag. XXVII § 15), sed cum luce clarius sit, somnium Penthesileae — quod non procul ab his narrationibus invenitur — redire ad alium fontem, quidni putamus et his locis Quintum habuisse exemplar praeter Homerum? Quam ob rem non ante Quintum potuerunt exsistere poetae, qui talia — et ipsi Homerum imitati — scripserint, e quibus pendeat Quintus? Quid enim melius excogitatum quam Andromacha monens, ne proelium ineant Amazones cum Graecis — Andromacha, cui tam strenuus ac fortis maritus manu Achillis perierat? Nonne haec iam cyclici aut tragici aut Alexandrini possunt finxisse? Falsissimum est putare Quintum omnia sua secundum Homerum finxisse. Quod ad formam totius orationis attinet, sane libenter concedo eum non procul recedere voluisse ab Homero. Res vero narratae et fabulae iam a cyclicis aut ab aliis poetis Homerum imitando effictae erant, et ab iis — quosnam per rivulos, hoc loco nihil ad rem — ad Quintum pervenere, ita ut, etiamsi similes res apud Quintum atque apud Homerum narratas conspiciamus, Homerica imitatio multo antiquior sit quam Quintus. Hoc loco optime de nominibus propriis apud Quintum exstantibus addi pauca possunt. Erunt fortasse

— inter quos quin fuerit Koechly, non dubito —, qui existiment in describendis pugnis, quibus Homerum imitaretur, sumpsisse Quintum nomina propria quoque virorum vulneratorum aut interfectorum ex Homero. Sed hoc minime ita se habet. Contra perlustratis illis nominibus propriis atque cum Homero comparatis inveni 75 inter ea iam apud Homerum legi, 84 vero Homero ignota esse. Quod satis ostendere mihi videtur ex alio fonte atque Homero fluxisse Nostro notitiam nominum propriorum, nisi forte putas Quintum iure poetarum nomina illa ipsum excogitasse. Huic autem sententiae obstant duo loci, qui satis idonei mihi esse videntur, ut illam plane refutent. — XI 184 sqq. et XI 55 — XI 184 sqq. valde miram legimus narrationem. »*Ἀργείων τις*« fugiens se convertit« *ἢ κάρτεϊ πάγχυ πεποιθὼς ἢ Μοίρης ἰότητι λιλαιομένης μιν ὀλέσσαι*«, ut impetum Graecorum magnopere instantium sustineat (Eodem modo XI 55 Pisandrum occidit »*τις*«) Ab Agenore autem interficitur »*κάππεσεν ἀμφὶ νέκυσσι. λίπεν δ' ἄρα χεῖρα κραταιὴν στερρὸν ἔτ' ἐκπεφυυῖαν ἐυγνάμπτοιο χαλινοῦ, οἵη ἔτι ζώοντος ἔην.*«

Quam ob rem hoc loco nomen illius miserrimi Graeci non affert Noster? Certe hic locus ansam dat curae atque artis Quinti in carmine pangendo cognoscendae. Si ceteris locis nomina vincentium et interfectorum heroum ipse finxisset poeta, sane hoc quoque loco illi Argivo nomen ipse dedisset, si vero ex Homero ubique nomina sumpsisset, sane huic quoque loco nomen apud Homerum invenisset. Neutrum fecit, sine nomine induxit Argivum, qui triste illud fatum patitur. Hac vero ex re concludere nos oportet eandem diram atque atrocem narrationem nomine vacantem apud alium auctorem legisse Quintum, ac si quaerimus, quisnam esse potuerit ille auctor, certe respondebimus: mythographus quidam, quos tales mirabiles res magno studio atque amore congessisse constat. Sed hoc a praesenti quaestione alienum! Satis habeo statuere ex hoc loco singulari in universum sententiam meam deducens Quintum permulta illa nomina, quae in carminibus afferat, non ipsum mente excogitasse, neque ex Homero sumpsisse, sed alii fonti debere. [1]) Ceterum permulta nomina, quae et apud

---

[1]) Ex. gr. de Clito, quem necavit Podalirius VI, 465, refert Hyg. f. 115 eum tres Achivos interfecisse. Quin hic idem sit qui apud Quintum,

Quintum et apud Homerum exstant, non iisdem hominibus induntur — ita, ut persaepe miles apud Homerum iam diu interfectus rursus apud Quintum pugnae intersit ac denuo occidatur. [1]) Rene vera putas Quintum haec quoque nomina ex Homero hausisse, cum una cum Homero vellet carmen suum lectitari? Minime. Nomina et Homeri et ab aliis poetis recens ficta iam pridem in libros mythographorum transierant, et ex iis pendere Quintum mihi quidem constat.

Appendicis loco hic addo Hesiodi quoque non inscium fuisse Quintum. Unum locum, quo patet Hesiodea imitatio, jam supra commemoravimus (cf. pag. 8), alter invenitur V, 50, ubi imagines describuntur, quae erant in clipeo Achillis. Sexta imago est Virtutis mons, quem ut escendant, etiamsi multi operam dant, tamen paucissimis contingit (Eandem rem repetit Quintus XIV, 195—200.)

Hac in re praeiit Hesiodus op. 287—292 (cf. K. annotationem ad v. 49 Quinti.) Cetera praetermitto, Koechly enim sedulo in commentario annotavit, quotiescunque Hesiodus Quinto ante oculos versatus esse videatur. Quantum vero in universum Hesiodi dictioni epicae debeat Noster, cognosces, cum legeris in editione Koechliana maiore Proleg. cap. II § 6 et 7, ubi composuit Koechly substantiva et adiectiva, quibus, quamquam apud Homerum non invenirentur, usus est Quintus, et indicat, quae inter ea ex Hesiodo fluxerint.

---

non dubito, alius vero quidam apud Homerum significatur, filius Pisenoris XV, 445 sq. Ille est »ἡνίοχος« Polydamantis neque ipse pugnat. De Lasso ipso (VI, 549) nihil inveni. Fortasse nomen corruptum est. De nympha Pronoa vero narrat Conon (narr. am. 2) peperisse eam Aegialum, quem ex Cauno concepisset. Num eadem sit atque haec, affirmare vix ausim. De Acthico (v. 511) nihil mihi apud alios scriptores obvenit, neque in Roscheri lexico mythologico mentio eius fit, ut omnino multi loci Quinti in hoc lexico sunt omissi. Laophoon Paeonides nominatur v. 549:

«τὸν ἐγείνατ' ἐυπλόκαμος Κλεομήδη
Ἀξιοῦ ἀμφὶ ῥέεθρα.«

cf. Paus. V 1, 3. »Παίονα δὲ ἀχθόμενον τῇ ἥσσῃ φυγεῖν ὡς πορρωτάτω, καὶ τὴν ὑπὲρ Ἀξιοῦ ποταμοῦ χώραν ἀπ' αὐτοῦ Παιονίαν ὀνομασθῆναι.«

[1]) Ex gr. Acamas, qui VI, 574 a Thrasymede vulneratur, necatur IX, 168 a Philocteta. Apud Homerum vero iam manu Merionis ceciderat. II, 823.

Cap. II.

De Tragicis.

Quaerendum nunc est, utrum tragicorum quoque opera nonnulla noverit Quintus atque ex iis hauserit necne. Negarunt hoc Tychsenius (sect. III praef. § 2 et 3). et Koechly (Prol. pag. 24.25.) Num suo iure, paulo post videbimus. Haec mihi praemonenda videntur esse. Si componimus satis magnum numerum tragoediarum Graecarum, quae ad Posthomerica spectant, deperditarum nullam fere rationem habebimus. Fragmenta enim tam pauca exstant, ut cum fructu iis, quod ad hanc quaestionem attinet, uti vix possis. Atque dixerit quispiam fortasse iam Quinti temporibus non plures tragoedias quam nostra aetate lectitatas esse. Constat enim nonnullis post Christum saeculis grammaticos e magna tragoediarum serie nonnullas elegisse, quibus solis operam darent legendi et explicandi ex. gr. ex fabulis Aeschyleis septem, quin etiam postea tres. At obstat huic opinioni unus Quinti locus, qui quin fluxerit e tragoedia quadam, dubitari non potest. Dico versus Iunonis Apollini mortem Achillis exprobrantis III, 98 sqq. (cf. IV, 49 IV, 131). Tanta enim est similitudo inter eos atque verba Thetidis, quae Apollinem, interfectorem filii alloquitur Aesch. frg. 28 (ed. Schneidewin. P. sc. gr. [1]), ut sane falso negarit Koechly § 12, qui primus illam similitudinem vidit, ex Aeschylo transtulisse Nostrum hos versus. Sed etiam Philoctetam Euripideam, quae item periit, novisse Quintum postea probare conabor.

Attamen hoc potissimum curae nobis esse debet demonstrare inter tragoedias nobis servatas et Quintum exstare vinculum quoddam cognationis. Itaque initium faciamus, si placet, a loco illo notatu maxime digno de Ganymede VIII, 427 sqq., de quo iam supra diximus (cf. pag. 12). Ganymedes, ubi vidit e coelo patriam in summum periculum vocatam, Iovem implorat, ut Troianis parcat, atque ille precibus adolescentis commotus excidium urbis in aliud tempus differt. Locus, ubi plane idem narratur, apud scriptores antiquos non invenitur. Tamen haud difficile perspici posse puto, quonam ex fonte totus hic locus de Ganymede fluxerit. Liceat pauca de Ganymede

---

[1]) Petitum ex Plat. Rep. 2 p. 383 a. Schneiderus fragm. adscribit *Ὅπλων κρίσει*, rectius fortasse Welckerus gr. Tragöd. pag. 39 *Νηρηΐσιν*.

praemonere. [1]) Fabula de Ganymede maxime propter amorem Iovis erga pulcherrimum illum puerum apud Graecos vulgabatur atque induit speciem penitus eroticam. Neque tamen desunt nonnulli scriptores, qui plane neglegant eroticam fabulae formam et qui eum nihil aliud esse velint nisi sacerdotem Iovis, ut vocatur in el. in mort. M. v. 90 »formose sacerdos« et apud Drac. Hel. VIII, 479 »augur.« Quin etiam deus factus esse existimatur. Hoc iam tangit Homerus, cum ait Il. XX, 235 »ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.« Clarius vero hoc praedicant: hymn. in Ven. 202 sqq. »ὡς ἔοι ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ἶσα θεοῖσιν.« Theogn. 1348 »ἐς Ὄλυμπον ἀνήγαγε καί μιν ἔθηκεν δαίμονα.« Pind. Ol. XI, 104 »ὥρα ἅ ποτε ἀναιδέα Γανυμήδει μόρον ἄλαλκε σὺν Κυπρογενεῖ.« Apud posteriores auctores propter merita ut Hercules in numerum deorum recipitur cf. Dion. Hal. ars rhet. VI, 5 Dio Chrysost. II pag. 8, 7 »καὶ οὐδὲν ὤνησεν αὐτοὺς οὔτε ὁ Ζεύς, οὔτε ὁ Γανυμήδης.« (ed. Dind.)

Ganymedes igitur deus vel semideus vel heros est, itaque, quippe qui artissime coniunctus sit cum patria, illam tueri atque quoquo modo adiuvare debet. Quid mirum, si in Euripidis Troadibus v. 820 sqq. chorus eum ut genium Troiae alloquitur atque clarius luce verbis ostendit se a Ganymede potissimum auxilium patriae expectasse?: μάταν ἄρ' ὦ χρυσέαις
ἐν οἰνοχόαις ἁβρὰ βαίνων
Λαομεδόντιε παῖ
Ζηνὸς ἔχεις κυλίκων·
πλήρωμα καλλίσταν λατρείαν
ἁ δέ σε γειναμένα Τροία πυρὶ δαίεται

et v. 833 sqq.:

τὰ δὲ σὰ δροσόεντα λουτρά
γυμνασίων τε δρόμοι
βεβᾶσι, σὺ δὲ πρόσωπα νεα-
ρὰ χάρισι παρὰ Διὸς θρόνοις
καλλιγάλανα τρέφεις.
Πριάμοιο δὲ γαῖαν
Ἑλλὰς ὤλεσ' αἰχμά κ. τ. λ.

---

[1]) Libenter confiteor multa mihi de Ganymede suppeditasse Paulum Meierum, discipulum quondam Foersteri Kiliensem.

Videmus Euripidem longe abstinuisse erotico Ganymedis mytho. Multo severiorem atque nobiliorem, ut ita dicam, fabulae formam praebet, inducit Ganymedem iuvenem, qui pulchritudine mortem superat atque ex homine deus fit, beatitudine atque immortalite praeditus. Amorem Iovis, etsi non negare ac plane omittere poterat, tamen non clare pronuntiat ac saepe silentio praeterit.[1] Euripidis igitur vestigia hoc loco presse secutum esse poetam nostrum contendo. Legerat Troades atque ex his sumpsit Ganymedem, ut operi suo maius decus inferret.[2]

Quod quam recte statuerim, apparet colore tragico, qui toti huic narrationi de Ganymede aspersus est.

cf. Quint. VIII, 435

»*οὐ γὰρ τλήσομαι ἄστυ καταιθόμενον προσιδέσθαι.*«

Troades v. 825

»*ἁ δέ σε γεινάμενα πυρὶ δαίεται.*«

Deinde comparatio illa, quae exstat VIII, 372 sqq.:

»*ὡς δ᾽ ὁπότ᾽ ἀμπνείωσι βόες μέγα κεκμηῶτες*
ἄχθον ἀνειρύσσαντες ἄνω ποτὶ δύσβατον ἄκρην.
πυκνὸν ἀνασθμαίνοντες ὑπὸ ζυγόν, ὣς ἄρ᾽ Ἀχαιοί
ἄμπνεον«

---

[1]) Excipiendi sunt praeter fabulam Cyclopis, in qua eroticam formam adhibuisse Euripidem nemo mirabitur, duo loci: Iph. A. 1059 (ed. Kirchh.) »*Διὸς λέκτρων τρύφημα φίλον*« et Orest. 1384 »*Διὸς εὐνέτα.*«

[1]) Ceterum afferri possunt nonnulli alii loci, quibus eadem interpretatio Ganymedis personae praevalet, nimirum eum esse praestantissimum deprecatorem Troiae apud deos, ut Luc. dial. deor 4, 3, ubi Jupiter ad Ganymedem modo in caelum sublatum verba facit: *σὺ δὲ — ἤδη γὰρ ἐπουράνιος εἶ — πολλὰ εὖ ποιήσεις ἐντεῦθεν καὶ τὸν πατέρα καὶ πατρίδα*« *κ. τ. λ.*, deinde schol. Il. XX, 234 »*παρεῖναι γὰρ τοῦτον* (Ganymedem) *οὐκ εἰκὸς εἰς καταστροφὴν Ἰλίου τοῖς θεοῖς βουλευομένοις.*« cf. Quint. v. 439 »*ἔρξον ἐμεῦ ἀπὸ νόσφιν*«. Denique cf. annotationem Servii ad V. Aen. I, 28 »Sane hic Ganymedes latine Catamitus dicitur, licet Theodatus, qui Iliacas res perscripsit, hunc fuisse Belim dicat, et Laomedonti praedixisse tum perituram et civitatem et regnum Troianorum, cum de monte Maeotico sponte fuisset saxum delapsum, quod cum evenisset, postea Ilium est direptum.«

[2]) Neque tamen Euripidem solum ei ante oculos esse obversatum, sed etiam Homerum iam supra demonstravi.

ex Eurip. Herc. fur. sumpta est cf. v. 119.

»μὴ προκάμητε πόδα
βαρύ τε κῶλον, ὥστε πρὸς πετραῖον
λέπας πόνῳ δαμέντος ὡς ζυγηφόρου
βάρος φέρειν τροχηλάτοιο πώλου.«

Ommino Quintum, qui refertus est sententiis communibus ac proverbiis, [1]) haec non omnia ex Homero, sed plerumque e tragicis hausisse primo obtutu apparet, cum singulos locos Quinti cum tragicis composuerimus ac miror, quod Koechly hanc rem in quaestione de fontibus Quinti § 13 tam negligenter omiserit (quamquam alio loco § 47 de locis communibus copiose ac doctissime egit.) Quod vero ad hanc rem pertinet, maxime Euripidis vestigia secutus esse Noster videtur. Neque mirum, constat enim illum inter omnes tragicos imprimis operam dedisse, ut sermonem gnomicis flosculis ornaret. [2]) Minus apud Sophoclem prodit congruentia cum Quinto, nullam fere apud Aeschylum detegere potui. Satis habeo locos illos exscribere, qui ad verba fere ex tragicis sumpti sunt. Multos enim aliquantulum mutavit ac variavit Quintus, quandoquidem id semper respiciendum est eum in carmine componendo poetas antiquos certe non semper ante oculos habuisse, sed reminiscendo tantum illorum poeticum colorem verbis suis induxisse.

Q. IX, 104 sqq.

»ἀλεγεινοῖς
ἀνδράσιν ἐκ καμάτοιο πέλει θαλίη τε καὶ ὄλβος
ἐκ δ' ἄρα λευγαλέων ἀνέμων καὶ χείματος αἰνοῦ
Ζεὺς ἐπάγει μερόπεσσι δι' ἠέρος εὔδιον ἦμαρ
ἐκ τ' ὀλοῆς νούσοιο πέλει σθένος ἔκ τε μόθοιο
εἰρήνη, τὰ δὲ πάντα χρόνῳ μεταμείβεται ἔργα«

Hercul. fur. 101 sqq.

»κάμνουσι γάρ τοι καὶ βροτῶν αἱ συμφοραὶ
καὶ πνεύματ' ἀνέμων οὐκ ἀεὶ ῥώμην ἔχει
οἵ τ' εὐτυχοῦντες διὰ τέλους οὐκ εὐτυχεῖς
ἐξίσταται γὰρ πάντ' ἀπ' ἀλλήλων δίχα«

---

[1]) Fortasse haec cupiditas sententiarum redundavit ex more temporum.

[2]) cf. Dion. Chrysostom. or. 52 *τά τε μέλη (Σοφοκλέους) οὐκ ἔχει πολὺ τὸ γνωμικὸν οὐδὲ τὴν πρὸς ἀρετὴν παράκλησιν, ὥσπερ τὰ τοῦ Εὐριπίδου.*

cf. ad hunc locum Quinti praeterea Eur. Troad. 1203. Deinde: Quint. I, 72

»ἐλπωρὴ γὰρ ὅτ᾽ ἐς φρένας ἀνδρὸς ἵκηται
ἀμφ᾽ ἀγαθοῦ, στονόεσσαν ἀμαλδύνει κακότητα«

Hercul. fur. 105.106.

»οὗτος δ᾽ ἀνὴρ ἄριστος᾽ ὅστις ἐλπίσι
πέποιθεν ἀεὶ, τὸ δ᾽ ἀπορεῖν ἀνδρὸς κακοῦ.«

Quint. XII, 388.

»ἀνδρὸς γὰρ κρατεροῖο κακὴν ὑποτλῆναι ἀνάγκην«
(et cf. VII, 52, IX, 457, III, 8, III, 396.)

Hercul. fur. 282.

»τῷ δ᾽ ἀναγκαίῳ τρόπῳ ὃς ἀντιτείνει
σκαιὸν ἡγοῦμαι βροτόν.« (cf. v. 1227.)

Quint. XIII, 287 »οὐ γὰρ ἔοικε
ζωέμεναι κείνοισιν, ὅσων μέγα κῦδος ὄνειδος
ἀμφιχάνῃ.«

Herc. fur. 1291.

»κεκλημένῳ δὲ φωτὶ μακαρίῳ ποτὲ
αἱ μεταβολαὶ λυπηρόν«

(cf. Hec. 375--378, 497—98.)

Q. VII,635	Herc. fur. 1314
Q. II, 83	Hec. 311
Q. VI, 37 IX, 347	Andr. 181.
Q. XIII, 239	

»οὐ γάρ σ᾽ ἐχθρὸν ἐόντα μετὰ ζωοῖσιν ἐάσω
οὐ γάρ τι ψυχῆς πέλει ἀνδράσι φίλτερον ἄλλο«

Andr. 520.

»καὶ γὰρ ἄνοια
μεγάλη λείπειν ἐχθροὺς ἐχθρῶν
ἐξὸν κτείνειν«

et Alc. 301.

»ψυχῆς γὰρ οὐδέν ἐστι τιμιώτερον«

Sed hactenus de locis communibus. Non aliter se habet res, cum de similitudinibus Quinti quaerimus (cf. Niemeyer. Die Gleichnisse d. Quintus Smyrnaeus. 2 Progr. Zwickau 1883—84) Etsi, etiam quod illas attinet, Homeri vestigia maxime sequitur poeta noster, tamen multas ex tragicis quoque fluxisse perspicuum

est. Unum locum, qno id apparet, supra commemoravi. Altero hac re defungar.

cf. Quint. XIV, 258

»τὴν δ' ἄγον, ἠΰτε πόρτιν ἐς ἀθανάτοιο θυηλὰς
μητρὸς ἀπειρύσσαντες ἐνὶ ξυλόχοισι βοτῆρες.«

Hec. 204

»σκύμνον γάρ μ' ὥστ' οὐρειθρέπταν
μόσχον δειλαία δειλαίαν
εἰσόψει χειρὸς ἀναρπαστὰν σᾶς ἄπο«

(utroque loco de Polyxena dictum.)

Ceterum hoc labore supersedeo. Qui diligenter Quinti carmina perlegerit, non desinet invenire locos, ubi aperte exemplar tragicorum Nostro ante oculos versatum sit. Adde eum copiosissimam sibi verborum supellectilem comparasse e tragicis. Diligentissime composuit Koechly (Prol. Cap. II § 6, 7) ea verba substantiva atque adiectiva, quae, etiamsi apnd Homerum non exstant, tamen usurpavit Quintus. Quae si accurate recensebis, multa tenebis oculis, quae apud tragicos crebro inveniuntur et fortasse ex illis in dictionem Quinti transierunt. Sunt vero haec substantiva: ἄλυξις (Aesch.) — ἄμαλλα (Soph. fr. 540 Dind.) — ἄμπυξ (Soph. O. C.: 1070 de equorum frenis usurpatur ut apud Quintum.) — ἰσημερίη (Soph. fr. 692 Dind.) — ὀλιγοδρανία (Aesch. Prom. 548) — παρηΐς. — φάραγξ — χεῖμα — χολή. — et haec adiectiva: ἄδακρυς (Eur.) — βαθύῤῥιζος (Soph. Trach. 559) — δολόφρων (Aesch. Suppl. 750) — δυσαλγής (Aesch. Ag. 1165) — εὐκτέανος (Aesch. Pers. 897) — εὔπρωρος (Iph. A. 765) — εὔτριχος = εὔθριξ (Eur. Herc. fur. 934.) — μελάμβροτος (Eur. fr. Arch. 2, 3 D.) — μονάμπυξ (Eur. Alc. 428) — νεόδμητος (Eur. Med. 623) — πολύκτητος (Eur. Andr. 768) — πύρπνοος (Aesch. Pr. 917 S. 492. Eur. Med. 478).

Sed obiciat quispiam: »Tu semper loqueris de verbis, locis communibus, comparationibus — ut breviter dicam, de exornationibus sermonis, quas fluxisse ex tragicis contendis, neque vero ulla verba facis de rebus. Num re vera fabulas ipsas Quintus ex tragicis hausit?« Ac recte illud mihi obici potest! Omnia, quae Quintus communia habet cum tragicis, ad formam carminis pertinent, de rebus i. e. de fabulis ipsis nihil ex tragicis proficimus. Hoc iam Koechly et Tychsenius recte observaverunt cf. Koechly Prol. § 12, ubi ait: »Ex tragicis nihil hausisse tragoediarum

superstitum habito respectu Tychsen l. c. § III recte affirmavit, breviter Philoctetae, Polyxenae, Aiacis, Helenae, Paridis exemplis usus, quos omnes ad pristinam simplicitatem adumbratos prorsus a tragicorum artificio abhorrere personarum mores diverse describentium et exornantium.« Alia enim forma fabularum apud illos atque apud Quintum, alia ac plane diversa mythopoeia. Quantopere vero tragicorum mythopoeia a Quinto distet, postea videbimus, cum de Quinti mythopoeia loquemur.

Tamen, etiamsi fabulas certe ex alio fonte collegit, ad exornandas eas saepe nisus est tragicis, semperque ad eos ut ad Homerum rediit. Quod partim iam supra exposui, iuvat vero, ut hoc magis magisque probem, novos locos afferre, quibus id denuo demonstretur. Inprimis huc spectare fabulas, quibus agitur de Iliuperside, ut Andromacham, Hecubam, Troades, Philoctetam apertum est. Conferas igitur exempli causa Andromacham. Nonne Quintus, cum componeret Andromachae orationem I 100—114, meminisse tibi videtur prologi fabulae Euripideae, ubi similem in modum sortem olim beatam nunc plane mutatam esse queritur miserrima illa? (cf. v. 94 et Q. I 116). Deinde v. 680

»Ἑλένη δ' ἐμόχθησ' οὐχ ἑκοῦσ', ἀλλ' ἐκ θεῶν«

prorsus conspirat cum Quinto, qui item indicat non Helenae vitio factam esse calamitatem, sed deorum vel fati. cf. XIV 156, XIII 409 et comp. v. 1194 cum Quinti vv. 85 sqq. Neque minus, ubi Polyxenae immolationem narrat, Quintus respicere videtur ad Euripidis Hecubam. Jam supra commemoravimus eandem comparationem (Q. XIV 258 — Hec. 204) apud utrumque inveniri (cf. pg. 21). Quamquam apud Euripidem Achilles apparet congregatis Graecis »πανοπλίᾳ« armatus super tumulo, apud Quintum vero soli Neoptolemo per noctem,[1]) quamquam ibi somnium Neoptolemi aliter atque apud Quintum narratum est, tamen nemo refellere potest sententiam, Quintum legisse Hecubam Euripidis atque hac re fundamenta ei esse data descriptionis calamitatum Polyxenae, etiamsi Euripides diversitate argumenti fabulae multo copiosius illas res tractare cogebatur. (cf. praeterea lamentati-

---

[1]) Vel inde perspicitur Quinti mythopoeia cf. Lessingii iudicium de visis umbrarum apud Voltaire et Shakespeare Hamb. Dramaturgie 11tes Stück.

ones Hecubae apud Quintum et Euripidem. Simillumi sunt hice versus:

Quint. 290—293.	Hec. 585 sqq.
Q. 296—97.	H. 365—416.
Q. 300—01.	H. 231, 382. sqq.)

Itaque Hecubam Euripideam novisse Quintum censeo, etiamsi non in Chersonneso, sed, quo loco res semper aguntur apud eum, i. e. in litore Trojano apud naves Graecorum vult Hecubam in canem mutari. Euripides enim non propter Polymestorem et Polydorum fabulam de Hecubae interitu transduxit in Chersonnesum, sicut Welcker (Griech. Trag. I 127) iudicaverat, sed recte monet Noack. (Iliupersis I. De Euripidis et Polygnoti, quae ad Troiae excidium spectant, fabulis. Gissae Diss. 1890) quaerens, cur Polydorus ipsi regi Thraciae mandatus sit, contrario scenam ob eam rem in Chersonneso esse, quod ibi tumulus erat nomine »*κυνὸς σῆμα*«, ubi Hecuba in canem mutata sepulta esse dicebatur. Hoc »*κυνὸς σῆμα*« Quintus quoque noverat, neque vero ea re motus actionem fabulae in illum locum transducere potuit, quia haud ignorabat melius esse per totum carmen res uno eodemque loco geri. Et haec sane est antiqua ac principalis forma fabulae, ad quam rediit Quintus sine aliqua notitia carminum cyclicorum sola mythopoeiae simplicitate ductus. At tamen poeta noster illud »*κυνὸς σῆμα*« tuetur atque cum Hecubae interitu coniungit. Narrat enim postea a Graecis Hecubam in Chersonnesum transportatam esse

cf. Quint. XIV 352:

»*καὶ τὴν μὲν Κάλχαντος ὑπ' ἐννεσίῃσιν Ἀχαιοὶ*
νηὸς ἐπ' ὠκυπόροιο πέραν θέσαν Ἑλλησπόντου«.[1])

Hoc Quintus ipse finxit, consultoque Euripidem mutasse iudicandus est. Eadem vero de causa Polyxenam apud naves Graecorum esse immolatam refert neque de Polymestore verba facit, contra Polydorum iam diu ab Achille interfectum esse narrat, Homeri vestigia presse secutus (cf. Q. IV, 154 IV, 586 — Il. XXI 91).

[1]) False hunc locum interpretatus est Höferus in lex. mythol. Roscher., qui ait pag. 1882 s. v. Hecabe: »Quintus lässt die Hecabe zu einem steinernen Hunde werden, welchen die Griechen mit sich fortführten.« Num vero »*πέραν θέσαν Ἑλλησπόντου*« significat »sie führten mit sich fort«?

Quod autem amorem Achillis erga Polyxenam plane neglegit, iterum cum Euripide consentit. (Ceterum de amore Achillis Ovidius quoque nihil affert cf. Met. XIII 448 sqq., quamquam ceteris in rebus valde dissentit a Quinto). Hoc amoris vinculum inter Achillem et Polyxenam ab Alexandrinis inventum esse Ricardus Försterus in ea dissertatione, cui nomen est »Achill und Polyxena. Zwei unedierte Declamationen des Choricius.« (Hermes 1882) demonstravit ac tam validis rationibus firmavit, ut dubitationibus ac scrupulis Noackii l. c. pag. 12 minime assentiri possim. Ante Alexandrinorum tempora Achilles ea de causa Polyxenam sibi vindicavit, quod putabat Graecos sibi eximiam praedae partem debere. cf. Hec. 41 *γέρας λαβεῖν* et Q. Sm. XIV 213 sqq.[1]).

Itaque forma fabulae Quintianae aliena est ab Alexandrinorum eruditione ac Försterus recte iudicavit Quintum ab Euripide pendere, cum ait l. c. pag. 198: »Um so grösser ist die Wirkung der euripideischen Hecuba zunächst auf die röm. Tragödie, sodann auf die ausführliche Schilderung Ovids Met. XIII 440—482, in wessentlichen Stücken auf Senecas Troades vv. 177—379, 1130—1174 und Quintus Smyrnaeus XIV 179—328». (Non fugit nos Quintum multas res mutasse ac variasse, sed idem facit Ovidius, qui ex. gr. Polyxenam esse immolatam per sacerdotem, non per Neoptolemum narrat).

Praeterea, quod ad Hecubam attinet, compara quaeso Q. XIII 108 sqq. cum Eur. Hec. 905 sqq., ubi Troianae mulieres narrant, quomodo ex somno exterritae nudae fere e domibus exierint Q. v. 111.

»*ἀλάληντο περὶ μελέεσσι χιτῶνα*
μοῦνον ἐφεσσάμεναι.«

Eur. Hec. 933.

»*λέχη δὲ φίλια μονόπεπλος*
λιποῦσα, Δωρὶς ὣς κόρα.«

Et certe Quintus versu 110.

»*τῆς δ'οὔτι μίτρης ἔτι μέμβλετο λυγρῆς*«

---

1) Hic vero cavendum tibi est, ne putes verbis »*ἐελδομένῳ περὶ πάντων ληΐδος*« Quintum amorem Achillis erga Polyxenam tangere voluisse. Verbum »*ἐέλδεσθαι*« hoc loco nullam habet vim eroticam, neque aliud quidquam dici potest de verbis Euripideis »*τύμβῳ φίλον πρόσφαγμα.*«

alludit ad verba Euripidis v. 923 sqq., quibus ait nocte ineunte feminas Troianas summa laetitia inflammatas sollemniter se ornasse:

»ἐγὼ δὲ πλόκαμον ἀναδέτοις
μίτραισιν ἐῤῥυθμιζόμαν
χρυσέων ἐνόπτρων,
λεύσσουσ' ἀτέρμονας εἰς αὐγάς
ἐπιδέμνιος ὡς πέσοιμ' ἐς εὐνάν.«

XIII 274 sqq. de somnio quodam Hecubae loquitur Quintus:

»μνήσατ' ὀϊζυροῖο καὶ ἀλγινόεντος ὀνείρου,
τόν ῥ' ἴδεν ὑπνώουσα παροιχομένῃ ἐνὶ νυκτί.
ἦ γὰρ ὀίετο τύμβον ἐπ' ἀντιθέου Ἀχιλῆος
ἑστάμεναι γοόωσα. κόμαι δέ οἱ ἄχρις ἐπ' οὖδας
ἐκ κεφαλῆς ἐκέχυντο, καὶ ἀμφοτέρων ἀπὸ μαζῶν
ἔῤῥεε φοίνιον αἷμα ποτὶ χθόνα, δεῦε δὲ σῆμα.«

Aliis quoque locis somnia Hecubae commemorantur, alterum enim vidit illa, antequam Paris nasceretur cf. Troad. 922 Hygin. fab. 249, alterum vero ante Polyxenae mortem, quod affert Eur. Hec. 87:

»ποῦ ποτε θείαν Ἑλένου ψυχάν
ἢ Κασάνδραν ἐσίδω, Τρῳάδες,
ὥς μοι κρίνωσιν ὀνείρους;
εἶδον γὰρ βαλιὰν ἔλαφον λύκου αἵμονι χαλᾷ
σφαζομέναν, ἀπ' ἐμῶν γονάτων σπασθεῖσαν ἀνοίκτως.«

Eadem res igitur narratur apud utrumque, apud Quintum nec non apud Euripidem — Hecubam ante Polyxenae mortem vidisse somnium quoddam — sed diversum in modum describitur illud somnium, ut facile intelligas huius fabulae Quintianae formam non fluxisse ex Euripide ipso. Existimo igitur hunc Quinti locum eodem modo esse explicandum quo illum, quem supra (cf. pag. 12, 13) attuli de somnio Penthesileae. Fons Quinti est compendium mythologicum, in quo somnium illud, de quo Euripides Hec. 90 loquitur, commemoratum invenit. Eodem modo transiit alterum somnium Hecubae ante Paridem natum in libros mythographorum ex. gr. in Hygin. fab. 249. Nihil aliud igitur novisse mihi videtur Quintus per mythographos nisi vidisse Hecubam somnium, antequam Polyxena immolaretur, formam somnii ipse excogitavit, atque optime, ut opinor, praesertim quum aptissime comparationem Hecubae cum latrante cane inserat. Cui vero haec mea explicatio

nimis subtilis esse videtur, eum putare oportet Quintum consulto fabulae Euripideae formam mutasse. Hoc autem ego non crediderim, quia causam mutationis non perspicio.

Sed longe aberravimus, redeamus igitur ad propositum.

Transeamus iam ad Troades. Hic primum dicendum est de Astyanactis fabula. Quintus breviter ait: (XIII 251)

»οἱ δὲ καὶ Ἀστυάνακτα βάλον Δαναοὶ ταχύπωλοι.
πύργου ἀφ' ὑψηλοῖο.«

et conspirat in ea re cum Euripide, quia apud illum quoque omnes Graeci auctores interficiendi Astyanactis sunt cf. v. 108:

»ἔδοξε τόνδε παῖδα« κ. τ. λ.

et. v. 716.

»νικᾷ δ' Ὀδυσσεὺς ἐν Πανέλλησιν λέγων«, cum Proclus dicat »Ὀδυσσέως Ἀστυάνακτα ἀνελόντος« (Ep. Arct. Il. Pers.[1]) Quia vero scena totius fabulae Euripideae est apud litus maris Troia iam dudum expugnata, puer inde in urbem reportatur, ut ibi mortem obeat. Deinde apud Quintum non minus quam apud Euripidem Andromacha ipsa puerum tenet, non est »τιθήνη«, cuius ex sinu ille abripitur.

cf. Quint. XIII 253 — Troad. 570, 750. (Contrarium apud Leschem: »παῖδα δ' ἑλὼν ἐκ κόλπου ἐυπλοκάμου τιθήνης« schol. M. Andr. 10.) (Ceterum cf. ad Astyanactis mortem Maxim. Mayer De Euripidis mythopoeia capita duo. Diss. Berol. 1883 pag. 52 et, quod recte ei obiecit Noack l. c. pag. 30.) Forma igitur fabulae Quintianae redit ad Euripidem. Num vero Quintus Euripidem ipsum — quod ad hanc rem pertinet — inspexerit,

---

[1]) Struvius, qui haec verba ita interpretatur, ut dicat Ulixe monente Graecos Astyanactem interfecisse (cf. De arg. carm. ep. II pag. 51), ita ut versio Euripidea cum Arctino consentiat, certe errat. Idem obiciendum est Noackio (l. c. pag, 36), qui verba Procli existimat supplenda esse Pausaniae verbis »ὑπὸ δόγματός γε Ἑλλήνων«. (Secundum Leschem Neoptolemus eum deicit iniussu Graecorum »οὐ μὴν ὑπὸ δόγματός γε Ἑλλήνων (quibus verbis alludit Pausanias ad versionem alius cuiusdam poetae, non Arctini), ἀλλ' ἰδίᾳ Νεοπτόλεμον αὐτόχειρα ἐθελῆσαι γενέσθαι« Paus. X 25, 9. Sane falsum hoc. Apud Arctinum certe eodem modo, quo apud Leschem Neoptolemi manu, manu Ulixis inter incendium Troiae Astyanax necabatur, Euripides vero variavit fabulam, ut interitum Astyanactis cum ceteris calamitatibus Hecubae coniungeret,

valde dubium mihi esse videtur. Contra consensus ita mihi esse videtur explicandus, ut statuamus fabulam Euripidis valde contractam ad mythographum quendam transisse, atque ex illo hausisse Quintum. Quid enim? Si consilio Euripidem exscribere voluisset, certe ipse quoque contionem Graecorum cum Astyanactis nece coniunxisset. Hoc vero etiamsi non facit, tamen ait: »οἱ Δαναοὶ βάλον.« Quae verba minime significare possunt, a nonnullis militibus, in quos casu quodam incideret, filium Hectoris interfectum esse, sed »οἱ Δαναοὶ βάλον« certe idem est, quod »ἔδοξε τοῖς Δαναοῖς βαλεῖν.« Postulat igitur illa certa species ac forma fabulae narrationem contionis Graecorum, quae praecederet et in qua decerneretur, ut Astyanax de muris deiceretur. Quam narrationem prorsus necessariam quia omisit Noster, apparet e compendio mythologico eum hausisse, praesertim quum transluceat quodammodo consuetudo et natura talium mythographorum. Quod quam recte statuerimus, docet consensus Quinti cum Hygino.

cf. Quint. XIII 251.

»οἱ δὲ καὶ Ἀστυάνακτα βάλον Δαναοὶ ταχύπωλοι
πύργου ἀφ' ὑψηλοῖο«

et Hyg. fab. 109. Achivi Hectoris et Andromachae filium de muro deiecerunt.

Neque in lamentationibus captivarum Troianarum vestigia poesis Euripideae non patent.

cf. Q. XIII 383 sqq. — Eur. Troad. 76 sqq.

Q. XIII 397 »ἣ δέ σφιν ἐπεγγελάασκε γοώσαις«

Eur. Troad. 416.

»ὡς ἡδέως κακοῖσιν οἰκείοις γελᾷς«

(utroque loco de Cassandra dictum).

Hoc loco ut semper, quod ad Euripidem fontem Quinti attinet, statuendum est Quintum non ita ex fabulis poetae »τραγικωτάτου« libasse, ut consulto verba vel totos versus carmini immisceret, sed fuisse imbutum quasi indole Euripidea, ut inscius fere sermonem ad exemplum magni illius auctoris conformaret eaque re quisque, qui legerit Quintum, primo obtutu meminerit descriptionum Euripidearum. Ita, cum de ira Minervae a Jove perniciem Aiacis et Graecorum petentis verba faciat, de sermone inter Minervam et Neptunum apud Euripidem Troad. 65 sqq. ha-

bito cogitasse videtur. cf. Quint. XIV 443 sqq. — Eur. Troad. 78 sqq. Aperte enim ad preces, quibus Minerva Neptunum movet, ut se adiuvet, provocat Noster verbis:

v. 507. sqq.

»Ποσειδάων γὰρ ἀνηλέα πόντον ὄρινεν
ἦρα κασιγνήτοιο φέρων ἐρικυδέϊ κούρῃ.«

Restat, ut de Philocteta agamus. Descriptio aegri Philoctetae, quem legati Graecorum in specu quodam insulae Lemni inveniunt, tam pulchra ac bene elaborata est, ut Struvium I 53 secutus censeam Quintum tragoedia quadam excitatum hanc speciosissimam imaginem pinxisse. Fabula Philoctetae et a Sophocle et ab Euripide tractata erat, ac quaeritur nunc, uter Quinto ante oculos versatus sit. Equidem existimo fuisse Euripidem, quem constat miserrimum spectaculum, cum in scenam prodiret Philoctetes, spectatoribus praebuisse. cf. Arist. Ach. 423, ubi propter eam rem illuditur:

»ποίας ποθ' ἁνὴρ λακίδας αἰτεῖται πέπλων,
ἄλλ' ἦ Φιλοκτήτου τὰ τοῦ πτωχοῦ λέγεις;«

(Eandem sententiam video pronuntiatam, neque vero ulla ratione probatam apud Milani. Il mito di Filottete. Firenze 1879, qui ait pag. 24, ann 2: »egli (Quint.) però, come vedremo, segue nel suo racconto piuttosto la tragedia di Euripide.« et pag. 40. ann. 4. »cfr. Q. Smirneo (Posth. IX 410 sgg.), il quale pare avesse dinanzi a sè Euripide). Accedit, quod apud Euripidem nec non apud Quintum (v. 335 lib. IX). Diomedes atque Ulixes Philoctetam arcessivisse dicuntur, apud Sophoclem vero Neoptolemus et Ulixes. Et conferas, si placet, Dion. Chrysostomum or. LII. (Dindorf II pag. 160, 12):

»καὶ τὸ ἀπαγγέλλειν δὲ τὰς τῶν Ἀχαιῶν συμφορὰς — οὐ μόνον χρήσιμον, ὥστε εὐφρᾶναι τὸν Φιλοκτήτην« κ. τ. λ.

et. Quint. IX 412:

»ἣν στρατὸν εἰσαφίκηται Ἀχαικόν, ὅν ῥα καὶ αὐτὸν
φάντο μέγ' ἀσχαλάαν παρὰ νήεσιν ἠδὲ καὶ αὐτοὺς
Ἀτρεΐδας ἅμα τοῖσι.«

Deinde apud Quintum Minerva, etiamsi formam Ulixis non mutat, ut apud Euripidem (cf. Dion. D. 158, 28), tamen efficit, ut ira Philoctae mitigetur cf. vv. 404 —05. Neque vero postremo

deo aliquo adiuvante Philoctetae persuadetur, ut ad Graecos redeat, apud Euripidem eodem modo quo apud Quintum cf. Dion. or. 52 (D. II 158, 2):

»εἰς τὴν Τροίαν ἀναγόμενος τὸ μὲν πλέον ἑκών, τὸ δέ τι καὶ πειθοῖ ἀναγκαίᾳ.«

sed orationibus solis ac promissis ira eius placatur cf. Quint. IX, 422—25. Hygin. fab. 102, qui sequitur hypothesin quandam Philoctetae Euripideae (Welcker Gr. Trag. p. 520.) Errat vero Eugenius Petersen (De Philocteta Euripidea Erl. 1862), qui contra Welckerum disputat atque censet auxilio machinae, ut apud Sophoclem, ita apud Euripidem quoque nodum solutum esse (Idem existimat Milani l. c, quin etiam ille Minervam fuisse »deam ex machina« contendit.) False enim interpretatur Euripidis fragmentum 797 (Nauck) cf. pag. 16. Cum vero dicat pag. 15: »Equidem certe non perspicio, quibus tandem blandimentis Philoctetes commoveri potuisset, qui quidem de futura eius sanatione, quae debebat pronuntiari, nihil compertum haberet«, refutatur Quinti ipsius loco vv. 410—11:

»ἔφαντο δέ οἱ λυγρὸν ἕλκος
ἐξ ὀλοοῖο μόγοιο καὶ ἄλγεος ἰήσασθαι
ἢν στρατὸν εἰσαφίκηται Ἀχαιικόν.«

Sin vero iam putas me oblivisci, quantum discrepet a fabula Euripidea narratio Quinti, valde erras! Quod ego quoque non ignoro, sed censeo Quintum ut virum doctissimum atque artis poeticae valde peritum consulto abstinuisse ab Euripide, quod ad res ipsas attinet. Neque enim tragoediam scribebat, sed carmen epicum, tragicum vero poetam aliter materiam explicare et contorquere oportere haud ignorabat (cf. Milani l. c. »l'epopea tende al rapido svolgimento dell'azione, il drama richiede invece uno sviluppo più disteso.«) Itaque non opus ei erat, nodum primum nectere, deinde solvere, neque Ulixi »ποικίλην τέχνην καὶ ἐπιβουλήν« (cf. Dion. or. 52.) tribuere, quia apud eum mores Ulixis multo puriores ac simpliciores describuntur. Sane vero in hac fabula tractanda Quintum quoque »σύνεσιν« illam et »τὴν περὶ πάντα ἐπιμέλειαν«, propter quas Dio Euripidem laudibus effert, adhibuisse, quisque concedet.

Cap. III.

De poetis Alexandrinis.

Carmina epica poetarum Alexandrinorum, quae plane easdem res pertractant, quas Quintus in Posthomericis, servata non sunt. Neque vero omnino Posthomerica erant composita ab ullo Alexandrinorum poeta uno continuo carmine, sed fabulae Troianae inveniebantur immixtae iis quoque carminibus, quae non in rebus Troianis versabantur. [1]) Quaerendum igitur est, num Quintus in nonnullis fabulis ab Alexandrinis, quos thesaurum fabularum valde auxisse ac certis rationibus variasse constat, pendeat.

Quam cum tractaturi sumus quaestionem, non absonum mihi videtur esse illud potissimum in mentem revocare Alexandrinos poetas traditionibus fabularum antiquis novas eroticas narrationes immiscuisse. [2]) Exstantne apud Quintum quoque huius consuetudinis vestigia? Iam supra commemoravimus (cfr. pag. 24.) Quintum amorem Achillis erga Polyxenam ne verbo quidem tetigisse. Aliter vero res se habet, cum perlustramus, quid de Oenona ac Penthesilea exempli gratia poeta narraverit.

Oenonae fugam per montes (cf. X, 411 sqq.) similem effinxisse eum Medeae ex paterna domo fugienti, ut eam depinxisset Apollonius Rhodius IV, 41 sqq., Koechly recte observavit (cf. annotationem eius ad X, 440: »In his et sequentibus ante oculos habuisse videtur Medeam domo prorumpentem apud Ap. Rhod. IV, 40« et ann. ad v. 454 »etiam hanc lunae mentionem mutuatus esse videtur ab Ap. Rhod. IV, 54—65«) et assentitur ei Erwin Rohde in libro eo, qui inscribitur »Der griechische Roman« (pag. 110 et ann. 5). Hic locus ansam dat cognoscendi, quae ratio intercedat inter Apollonium Rhodium et Quintum. Similitudines hic inter ambos poetas tantae et tam manifestae sunt, ut sine ullo dubio ex Apollonio ipso — nullo alio auctore intercedente — hausisse Quintus putandus sit.

---

[1]) Cf. Koechly Prolegg pag. IX: »Mythologica vero illa carmina, quae eodem modo Homericis sese appropinquabant, fere minoris ambitus esse voluerunt (sc. Alexandrini), quo commodius ars brevibus in rebus longa opus ab omnibus partibus absolutum perficeret.«

[2]) Cf. Foerster Ach. u. Polyx. Hermes 1882 pag. 199. »Wohl aber ist der ἔρως das alles beherrschende Motiv der alexandrinischen Poesie«.

cf. ex. gr. Ap. Rh. IV, 58 sq.

»οὐ δ' οἴη καλῷ περιδαίομαι Ἐνδυμίωνι
μνησαμένη φιλότητος«

et Quint. X, 455.

»μνησαμένη κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Ἐνδυμίωνος.«

Sed non solum hic, verum etiam aliis locis aperte Apollonium imitatus est. Conferas, si placet, descriptionem pugilationis inter Epeum et Acamantem (Quint. IV, 333 sqq.) cum Apollonio Rhodio II, 25 sqq. Quam mirum in modum ibi consentit Noster cum Alexandrino illo poeta! Paene ad verbum eum exscripsit. [1])

Locos similes igitur componamus. Utrumque pugilem amici adstantes adhortantur, ne animo deficiat, sed fortiter aggrediatur adversarium cf. Ap. Rh. II, 61 sq. — Quint. IV, 334 sqq.

Induunt lora:

cf. Quint. IV, 333.

»ἀζαλέους ἱμάντας ἔχων περὶ χερσὶ θοῇσι.«

A. Rh. II, 61 sq.

»θεράπων Ἀμύκοιο Λυκωρεύς
θῆκε πάροιθε ποδῶν δοιοὺς ἑκάτερθεν ἱμάντας
ὠμούς, ἀζαλέους.«

Deinde experiuntur, num robur etiamtum vigeat integrum.

cf. A. Rh. v. 45

»πῆλε δὲ χεῖρας
πειράζων, εἴθ' ὡς πρὶν ἐντρόχαλοι φορέονται,
μὴ δ' ἄμυδις καμάτῳ τε καὶ εἰρεσίῃ βαρύθοιεν.«

Quint. IV, 343.

»ἄμφω χεῖρας ἑὰς πειρώμενοι, εἴπερ ἔασιν
ὡς πρὶν [2]) ἐντρόχαλοι. [3]) μηδ' ἐκ πολέμου βαρύθοιεν.«

Sequitur pugilatio ipsa:

---

[1]) Koechly certe falso iudicavit de ratione, quae intercedit inter Apollonium et Quintum pugilatum describentes, cum ait (cf. ann. ad IV, 377): »Apollonium a Quinto imitando diserte expressum propterea negaverim, quod, cum in singulis consentiant, alia tamen totius certaminis atque victoriae apud utrumque est ratio.«

[2]) ὡς πρὶν correxit Koechly ex ὥσπερ V. teste Apollonio. (ep. crit. pag. 711).

[3]) Verbum »ἐντρόχαλος« apud Homerum non invenitur.

cf. Ap. Rh. II, 82.

»παρήϊα τ' ἀμφοτέρωθεν καὶ γένυες κτύπεον.«

Quint. v. 353.

»ἀζαλέῃσιν περικτυπέοντο γένεια ῥινοῖς.«

Ap. Rh. v. 84.

»οὐ δ' ἔλληξαν ἐπισταδὸν οὐτάζοντες.«

Quint. v. 356.

»οὐδ' ἄρ' Ἐπειὸς λῆγεν.«

Ap. Rh. v. 86.

»ἀπωμόρξαντο μετώπων ἱδρῶ ἅλις.«

Quint. v. 354.

»ἐκ δὲ μετώπων ἱδρὼς αἱματόεις — ἐρύθαινε παρειάς.«

Ap. Rh. v. 78.

»χερσὶν ἐναντία χεῖρας ἔμιξαν.«

Quint. v. 340.

»ἐποτρύνοντες μῖξαι ἐν αἵματι χεῖρας ἀτειρέας.«

Ap. Rh. v. 83.

»βρυχὴ δ' ὑπετέλλετ' ὀδόντων.«

Quint. V, 392:

»βρυχὴ δὲ περὶ γναθμοῖσιν ὀρώρει«

(vox »βρυχή« quoque apud Homerum non invenitur).

Sed etiam, quae Quintus narrat de Neoptolemo valedicente Deidamiae, cum in castra Graecorum abiret VII, 262 sqq., — ut mihi quidem videtur — arte cohaerent cum Apollonio Rhodio I, 278 sqq., ubi Iason ab Alcimeda matre discedens inducitur.

De Neoptolemo arcessito praeter Quintum Philostratus quoque (imag. I, 865) prolixiorem narrationem exhibet, quae fortasse fluxit ex tragoedia Sophoclis, Dolopibus sive Phoenice. Cum illo vero Philostrati loco non consentit Noster. Contrarium affirmat Struvius I. 44: »Quodsi hanc imaginem cum narratione Quinti comparamus, infitiari non possumus utrumque poetam, tragicum et epicum, ex eodem carmine veteris epici hausisse.« Accurate autem duobus locis comparatis nemo non videt eum errare. Praeterea tum duos fontes secutus esset Quintus, persuasum enim habeo,

ut iam supra dixi, ex simili apud Apollonium Rhodium descriptione Iasonis matri valedicentis Quintum nonnulla in Posthomerica transtulisse. Quam ob rem vero Quintus poetam illum, qui ne eandem quidem, sed similem tantum rem pertractat, adhibiturus fuerit, si habuisset ante oculos epicum quendam de eadem re dicentem, equidem non intellego. Deinde quis est ille »vetus epicus«? Num epicus quidem vetus Quinti temporibus exstabat, quem perlegere potuit? Ex Apollonio Rhodio vero certe aliquid sumpsit, etiamsi non verbotenus eum exscripsit. Nam in sententiis complures similitudines conspicimus et tota res defluit, ut ita dicam, omnino eodem modo apud utrumque poetam. Mater valde lamentatur cf. Q. VII, 262—286. — Ap. Rh. I, 278—291, filius vero hortatur eam, ut bono animo sit Quint. VII, 287—291. — Ap. Rh. I, 292—305. cf. Quint. v. 288:

»κακὴν δ' ἀποπέμπεο φήμην.«

et Ap. Rh. v. 304:

»μήδ' ὄρνις ἀεικελίη πέλε νηΐ.«

Sapientem vero atque animum adolescentis confirmantem, matri solatium afferentem hominem se praestat »ὁ γέρων« utroque loco, cf. Lycomedis orationem apud Quintum vv. 294—311, Ap. Rh. I, 265. Contrarium praebent Cicero Lael. XX, 75: »Nec enim Troiam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrimis iter suum impedientem audire voluisset« et Philostratus l. c., ubi eadem ratione avus Neoptolemo se opponit. Redit haec res ad tragoediam Graecam cf. Welcker Gr. Trag. I, 140 sq. Quintus vero ait:

»ὣς εἰπὼν κύσε παῖδα καὶ οὐκ ἀνέεργε κελεύθου
ἱμείροντα μόθοιο δυσηχέος.«

Deinde apud Quintum Troiam navigat Neoptolemus una cum legatis, qui eum arcessiverunt, v. 394 sqq., Argonautae vero mari vehuntur Iolco profecti in insulam Lemnum I, 580 sqq. Negasne re vera, cum has duas descriptiones contuleris, etiam hic Apollonium Quinto ante oculos versatum esse? Minime, praesertim quum Apollonii libri primi ultima quoque parte, qua commoratio Argonautarum apud mulieres Lemniorum narratur, usus sit. cf. IX, 337 sqq.

In insula Lemno viri Lemniadum Thressas uxores duxerant et priores spreverant. Itaque Lemniades, postquam omnes coniura-

verunt, genus virorum omne, quod ibi erat, interfecerunt (Hyg. fab. XV).

Hanc fabulam praeterea enarratam invenimus apud Apollodorum I, 9, 17 et schol. Il. VII, 468. At tamen Apollonii Rhodii enarratione de Argonautis ad Lemnum appellentibus cum Quinto comparata persuasum habeo hoc quoque loco Quintum habuisse ante oculos illum poetam (cf. Ap. Rh. I, 609 sq.) Nam apud utrumque poetam sunt mulieres Thraciae bello captae, cum quibus concubuerunt mariti Lemniadum.

cf. Quint. IX, 342.

»τὰς δουρὶ καὶ ἠνορέῃ κτεάτισσαν
πέρθοντές ποτε γαῖαν ἀρηϊφίλων Θρῄκων.«

et Ap. Rh. v. 613.

»ἃς αὐτοὶ ἀγίνεον ἀντιπέρηθεν
Θρηϊκίην δῃοῦντες.«

Alia vero ratione narrata exstat haec fabula schol. Il. VII, 468. Ibi Lemnii ipsi dicuntur iusta non fecisse Veneri. Quam ob rem dea summa ira inflammata amorem iis iniecit erga Thraciae mulieres, ut in Thraciam transirent ibique dilectas mulieres in matrimonium ducerent. »διέβαινον οὖν εἰς τὴν Θρᾴκην περιέποντες καὶ σεβόμενοι τὰ ἐνταῦθα.« Tertia fabulae forma est apud Apollodorum I, 9, 17, ubi mulieres, quia non iuste veneratae essent Venerem, »δυσοσμίᾳ« punitas absque maritis spretas esse legimus.

Vidimus per latum spatium hic Apollonii copias a Quinto mutuatas esse, nam cum totum librum primum Argonauticorum perlegimus, ubique fere cognoscimus vestigia, quae Quintum imitatorem Apollonii produnt. Has vero similitudines et congruentias, quae non intra paucos versus stent sed magnum habeant ambitum, manufestissimum verae imitationis indicium praebere benigne Ricardus Foersterus me monuit.

Deinde conferri potest Ap. Rh. I, 1027 cum Quint. I, 536—37, XIII, 488.

Similem in modum opponuntur inter se »ἠνορέη« et »μῦθος.« Ap. Rh. III, 188.

»πολλάκι τοι ῥέα μῦθος, ὅ κεν μόλις ἐξανύσειεν
ἠνορέη, τόδ' ἔρεξε κατὰ χρέος, ᾗπερ ἐῴκει
πρηΰνας.«

Quint. V, 262.

»μέγα γὰρ κράτος ἀνδράσιν μῦθος
γίνετ' ἐϋφροσύνῃ μεμελημένος. ἠνορέη δὲ
ἄπρηκτος τελέθει μέγεθος τ' εἰς οὐδὲν ἀέξει
ἀνέρος, εἰ μή οἱ πινυτὴ ἐπὶ μῆτις ἕπηται.«

Praeterea Apollonii narratio de tristi exitu Phaethontis cf. IV, 595 sqq. a Quinto excerpta esse mihi videtur, etiamsi hoc pro certo non affirmaverim. (Potuit sane quoque fons esse libellus mythicus — at tamen eruditione Alexandrina imbutus). Verba enim Quinti X, 193—94:

»καταιθομένης δ' ἄρα γαίης
ὡς ἐτεόν περ, ἄητο μέλας ἐνὶ ἠέρι καπνός,«

quae per se haud facile intelliguntur, ex copiosa poetica descriptione mutuata esse existimo. Cf. autem Apollonium Rhodium, qui ait v. 5 sqq.:

»ἡ (λίμνη) δ' ἔτι νῦν περ
τραύματος αἰθομένοιο βαρὺν ἀνακηκίει ἀτμόν.«

(Verbum »τραύματος« corruptum mihi esse videtur, neque vero equidem scio, quomodo possit sanari locus).

Addi hoc loco possunt hi duo loci: Ap. Rh. IV, 603—607 et Quint. V, 625—630, ubi optime perspicitur, quanam ratione Quintus saepe fontem immutaverit. Ait enim Apollonius calore solis ex lacrimis »Ἠλιάδων κουρῶν« factum esse sucinum cf. v. 607:

»αἱ μὲν τ' ἠελίῳ ψαμάθοις ἔπι τερσαίνονται«,

Quintus vero vult deum Solem hoc fecisse. cf. V, 629:

»καὶ τὸ μὲν Ἠέλιος γέρας ἄφθιτον υἱέι τεύχων
ἤλεκτρον ποίησε.«

Si recte statuimus in enarrando fato Phaethontis Quintum habuisse ante oculos Apollonii Rhodii Argonautica, hoc certe ratione ac via ex ea re concludemus eum in descriptione armorum Herculis non secutum esse poeticum fontem, quo eadem materia tractaretur, sed res aliunde sumpsisse, poeticis vero coloribus (partim, ut videmus, ex Apollonio Rhodio petitis) exornasse.

Sed pergamus enumerare, quae debere videatur Quintus Apollonio. Restat unus locus. Quint. III, 630 sqq. Calliopa consolatur Thetidem atque affert filium Orpheum, qui et ipse mortuus esset, quamquam canendo omnibus praestitisset. Apud Apollo-

nium Rhodium eadem fere verba exstant, ita ut censeam Quintum etiam hic illum imitatum esse.

cf. Ap. Rh. I, 26:

»αὐτὰρ τόνγ' ἐνέπουσιν ἀτειρέας οὔρεσι πέτρας
θέλξαι ἀοιδάων ἐνοπῇ ποταμῶν τε ῥέεθρα
φηγοὶ δ' ἀγριάδες κείνῆς ἔτι σήματα μολπῆς
ἀκτῆς Θρηϊκίης Ζώνης ἐπὶ τηλεθόωσαι.
ἑξείης στιχόωσιν ἐπήτριμοι. ἃς ὅγ' ἐπιπρό
θελγομένας φόρμιγγι κατήγαγε Πιερίηθεν.«

Quint. III, 638:

»Ὀρφεὺς. οὗ μολπῇσιν ἐφέσπετο πᾶσα μὲν ὕλη.
πᾶσα δ' ἄρ' ὀκριόεσσα πέτρη ποταμῶντε ῥέεθρα.
πνοιαί τε λιγέων ἀνέμων ἀμέγαρτον ἀέντων
οἰωνοί τε θοῇσι διεσσύμενοι πτερύγεσσιν.«

Haec habebam, quae de similitudinibus inter duos illos poetas dicerem, neque vereor omnibus his expositis aliquam cum Apollonio Rhodio necessitudinem Quinti statuere. Sed alii poetae Alexandrinorum sunt perscrutandi, num fortasse eorum quoque ut Apollonii notitia apud Quintum detegi possit. Et inveni, credo, vestigia, quibus demonstratur ex Callimacho Quintum nonnulla sumpsisse. Cf. XIII, 422 sqq., ubi Quintus narrat stupratam esse ab Aiace Cassandram »ἔνδοθι νηοῦ.« Vim virgini illi illatam esse nisi post Callimachum fragm. 13 ed. Schneider = Schol. Il. XIII, 66 nusquam audimus. Itaque putare nos oportet Quintum aut sequi Callimachum, aut hunc mythum invenisse in fonte quodam mythographico, in quo exstaret eruditio Alexandrina. Ceterum conferamus duos locos Schol. Il. XIII, 66:

»οὗτος (Αἴας) μετὰ τὴν Ἰλίου πόρθησιν αἴτιος τοῖς Ἕλλησιν ἀπωλείας ἐγένετο. Κασσάνδραν γὰρ τὴν Πριάμου, ἱκέτιν οὖσαν Ἀθηνᾶς, ἐν τῷ τῆς θεοῦ σηκῷ κατῄσχυνεν ὥστε τὴν θεὸν τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ ξοάνου εἰς τὴν ὀροφὴν τρέψαι. ἡ ἱστορία παρὰ Καλλιμάχῳ ἐν Α Αἰτίων.«

Quint. XIII, 422:

»ἐπειή ῥά οἱ ἔνδοθι νηοῦ
Κασσάνδρην ᾔσχυνεν Ὀιλέος ὄβριμος υἱός
θυμοῦ τ' ἠδὲ νόοιο βεβλαμμένος. ἣ δέ οἱ αἰνόν
εἰσοπίσω βάλε πῆμα, καὶ ἀνέρα τίσατο λώβης
οὐδὲ μὲν ἔργον ἀεικὲς ἐσέδρακεν, ἀλλά οἱ αἰδὼς

καὶ χόλος ἀμφεχύθη, βλοσυρὰς δ' ἔτρεψεν ὀπωπὰς νηὸν ἐς ὑψόροφον.«

Quibus locis collatis me non obloquentem habebit is, qui statuat Callimachum ipsum a Quinto esse inspectum. Accedit vero alterum exemplum imitationis Callimachi, XIV, 409, ubi de Aiacis interitu loquitur Noster. Ad hanc rem velim inspicias Od. δ 500.

»γυρῇσιν μὲν πρῶτα Ποσειδάων ἐπέλασσε
πέτρῃσι μεγάλῃσι, καὶ ἐξεσάωσε θαλάσσης.«

et schol. Il. XIII, 66 (= Callimachus).

»διανηξάμενος δὲ Αἴας εἰς τὰς Γυράδας καλουμένας πέτρας ἔλεγε χωρὶς θεῶν γνώμης διασεσῶσθαι. Ποσειδῶν δὲ ἀγανακτήσας διέσχισε τὴν πέτραν καὶ τὸν Αἴαντα τῷ κλύδωνι παρέδωκεν.«

In Odyssea igitur legimus Neptunum voluisse servare Aiacem. Hanc vero Callimachi sententiam non esse apparet. Neque hoc invenimus apud Quintum, sed ibi adiuvat Minervam summa ira contra Aiacem inflammatam Neptunus mare turbans (cf. v. 507 sq.) Itaque errant Tychsenius praef. p. 76 et Struvius l. c. part. II pag. 80, cum putant poetam nostrum quam maxime accedere ad narrationem Homeri.

Apud Hyginum fab. 116 et Vergilium Aen. I, 43 Minerva Aiacem fulmine dicitur interfecisse. Quintus vero narrat fulmine deleri navem, non Aiacem interfici. Illa fortasse forma fabulae ex hac prodiit, hanc vero verisimile est apud Callimachum quoque exstitisse. Vergilium tum concludi potest, qui primus illam fabulam praebet, sua hausisse ex Callimacho, at paullulum immutasse. Ceterum omnia, quae schol. Il. XIII, 66 profert, tam bene consentiunt cum Quinto, ut facile Callimachum fontem eius esse dixeris.

Quoniam enumeravimus illos locos Quinti, quos aperte uni ex poetis Alexandrinorum nobis notis assignare potuimus, nunc eos componamus, qui, etiamsi certe ex Alexandrino quodam fonte poetico hausti sunt, tamen certo auctoris nomine carent. Sed hic ordinem paullulum perturbantes iterum de Oenona dicamus, ne eam, de qua supra iam verba fecimus, neglexisse aut omisisse videamur.

Quoniam igitur ad mythum illum de Oenona accessimus, statim illud statuamus hunc inter omnes pulcherrime enarratum esse a Quinto atque decimum librum multo praestare ceteris. Eti-

amsi enim aliis quoque locis Quintum laudare possumus, tamen saepe ieiunitatem quandam et siccitatem patienter ferre debemus, hoc vero in libro omnino vividum colorem et sanguinem conspicimus, omni arte poetica refertus est atque omnes valde delectantur lectores. Hic sicco pede transire non possum et omittere res in hoc libro a versu 259 descriptas enarrare. (Aliis locis non feci, Struvius est inspiciendus, cuius prioris dissertationis tertiam fere partem argumentum Quinti enarratum ac Procli excerpta adscripta continent). Paris summis doloribus vexatus constituit Oenonam adire atque implorare, ut sibi medeatur v. 259 sqq. [1]) Sed iam in via sinistrae aves ei apparent, quae malum eventum pronuntiant. (v. 265—269). Quod timuerat, accidit. Oenona, quam eius non miseret, valde increpans eum abire iubet. Ab Helena peteret salutem, ab illa, quam sibi praetulisset (270—331). Saucius membra trahit miserrimus ille, dum in monte collapsus animam expirat (332—363). Nymphae et pastores mortem eius lamentantur (364—68). Hecuba per pastorem quendam certior facta summo dolore excruciatur (364—384). Interim Oenonam paenitet, quod tam severe Paridem abire iussit, et statim per montes volat, ut coniugem quaerat. Ubi vero rogum eius exstructum vidit constituit una cum dilecto marito mori atque in flammas se immittit.

Hanc totam de Oenona narrationem putavit Rohdius (Griechischer Roman, pag. 110 et ann. 5) redire ad Alexandrinum quoddam exemplum. Neque enim dubium esse, quin mythus de Paride et Oenona ab epicis Alexandrinis enarratus esset. (cf. Parth. Nic. »*περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων*« 4. »*Περὶ Οἰνώνης*« »*Ἱστορεῖ*

---

[1]) Quid hoc loco significant verba Quinti: »*ὃ γὰρ θεοπροπίῃσι πιθήσας ἤϊεν οὐκ ἐθέλων*«? Fortasse quis concluserit ex his verbis Helenum vel alium quem vatem Troianorum suasisse Paridi, ut Oenonam adiret. Hoc vero non crediderim, contra ad aliam fabulae formam alludere mihi videtur poeta. Respicit ad Oenonam quae »*οὐκ ἀΐδρις μαντοσύνης*« Paridi praedixerat fore ut vulneraretur. Si autem saucius atque aeger esset, ad se veniret. Sese enim solam ei mederi posse cf. Apollod. III 12, 6 »*παρὰ Ῥεάς τὴν μαντικὴν μαθοῦσα προὔλεγεν Ἀλεξάνδρῳ μὴ πλεῖν ἐπὶ Ἑλένην, μὴ πείθουσα δ' εἶπεν, ἐὰν τρωθῇ, παραγενέσθαι πρὸς αὐτήν. μόνην γὰρ θεραπεῦσαι δύνασθαι.* cf. praeterea Parthen. 4. Conon 23. Cl. Alex. str. I, p. 144. O. Jahn: Paris und Oinone. Greifswald 1844, Arch. Beiträge 330—351.

Νίκανδρος ἐν τῷ περὶ ποιητῶν καὶ Κεφάλων ὁ Γεργίθιος ἐν Τρωϊκοῖς.«) At eam sententiam Rohdii, quamquam fateor primum mihi valde eam placuisse, tamen non probo. Vidimus enim in describenda Oenona per montes fugiente ad Apollonium Rhodium Nostrum sese applicasse. Quid igitur? Si poetam easdem res tractantem, quas ipse, ante oculos habere poterat, dico Alexandrinum illum, quem mente excogitavit Rohdius, certe non opus erat Quinto salutem ab Apollonio Rhodio petere. Hunc vero cum aperte sequatur, probabile mihi fit eum nullum alium poeticum fontem inspexisse. Formas aurem huius fabulae in fabularum libellis fuisse »von wahrhaft dramatischer Gestalt« ipse affirmat Rohdius, cf. Apollod. III, 12, 6, quocum, si a morte Oenonae recesseris, plane consentit Quintus. (Hanc fabulam Apollodori esse »*ὑπόθεσιν*« tragoediae cuiusdam posteuripideae putavit Welckerus Griech. Tragöd. pag. 1146), ut existimare liceat Quintum fontem mythographicum secutum exornasse narrationem pulcherrimis illis descriptionibus, quas apud Apollonium Rhodium invenisset. Accedunt duae res, quibus niti posse mihi videar, ut sententiam meam magis probem. Primum enim poetae Alexandrini certe non narraverunt, ut Quintus, in ardentem rogum insiluisse Oenonam, sed manus sibi ipsam alio modo intulisse cf. Parth. Nic. 4, qui ex Alexandrino fonte hausit. »*Οἰνώνη δὲ, ἐπεὶ νέκυν ἤδη κατὰ γῆς κείμενον ἐλθοῦσα εἶδεν, ἀνῴμωξέν τε καὶ πολλὰ κατολοφυραμένη διεχρήσατο ἑαυτήν.*« Quomodo vero intelligi debeant verba »*διεχρήσατο ἑαυτήν*«, docet Lycophron v. 61 (cf. praeterea Tzetz. ann. ad h. l. et Posth. 596. Conon. 23 Apollod. III, 12, 6). Ibi enim comperimus Oenonam aut se suspendisse aut »*πύργων ἀπ' ἄκρων*« se deiecisse. Sed nolo urgere hoc, fortasse Quintus ipse formam fabulae mutavit, ut rem etiam atrociorem faceret. Deinde vero apud Alexandrinos Paris non ipse Oenonam adit, ut salutem petat, sed praeconem mittit, qui eam arcessat.

Neque vero silentio praeterire possumus versus illos difficillimos 332—360, ubi Juno cum Horis (Rohdius pro »Horis« dicit »Moiren« quod fortasse lapsu quodam typis exscriptum est) Oenonam conspiciens vaticinatur, quae post mortem Paridis eventura sint. Sunt vero hae vaticinationes.: Primum aiunt Deiphobum Helenam in matrimonium esse ducturum, deinde illam ob rem iratum Helenum ad Graecos transiturum atque suasurum iis esse, ut Palla-

dium ex urbe Troianorum auferant. Quod postremo factum iri opera Diomedis atque Ulixis. Sed omnes hae res postea ne verbo quidem tanguntur. Rene vera Helenus iratus ad Graecos transiit? De hac re nihil Noster, neque quidquam de ablato Palladio. Rohdius igitur putabat hos versus inprimis demonstrare Quintum totam narrationem ex poeta quodam Alexandrino hausisse — saepe enim vaticinando res commemorare Alexandrinos (Quod per totum carmen fieri sane concedo cf. Lyc. Alex., num vero etiam in singulis rebus?) — atque illos versus ex loco quodam, quo optime se haberent, in suum opus transtulisse et neglexisse de illis supra commemoratis rebus postea uberius dicere. Nullo modo vero concedo equidem ac nunquam concedam Quintum hanc incongruentiam non ipsum vidisse. Itaque iudicare nos oportet aut Quintum consulto ita scripsisse, quod scripserit, aut eas res, quae hoc loco nisi tactae non sunt, re vera postea fuisse copiosius a poeta narratas, illam vero carminis partem periisse. Tum igitur post hunc locum lacuna indicanda est. Hanc viam primus ingressus est Koechly cf. Proleg. pag. XXXI, postea vero sententiam mutavit et plane perverse iudicavit: »cum ad eas fabulas prolixe enarrandas vix similia ex Homero peti possent, omittere eas homo diligens aut noluit, ut nimis pervagatas, aut non potuit, ut coniunctas cum Deiphobi et Helenae nuptiis, quas narrat Homerus. Itaque mediam excogitavit quandam viam.« Labore eius refutandi supersedeo. Videmus enim, quosnam ad errores veniat praeiudicata illa opinione, qua censeat Homerum unicum fontem Quinti esse. Quam saepe ex Homero similia petere non potuit Quintus, at tamen eas res optime enarravit! Neque vero melius Struvius iudicat, cum ait part. I pag. 35: »Fortasse pari brevitate haec tetigit Arctinus.«

Ego cum consulto tam breviter commemorasse omnes has res Nostrum demonstrare nequeam — neque enim dici potest, quidnam illud consilium fuerit — alterum viam ingredior et redeo ad Koechlii sententiam, qui lacunam post librum undecimum statuit, ubi olim copiosior enarratio earum rerum exstabat, etiamsi hanc lacunam »duorum ad minimum librorum esse«, ut Koechly existimat, nego. Uno libro illae res satis verbose explicari potuerunt. Neque illud urgere volo huic coniecturae melius respondere videri versum primum libri XII:

»Ἀλλ' ὅτε δὴ μάλα πολλὰ κάμον περὶ τείχεα Τροίης.«
ut Koechly dicit pag. XXXI Prol., unus vero locus idoneus esse videtur, qui sententiam meam firmet, dico vv. 354—56 libri XIII:

»καὶ τότε δὴ Μενέλαος ὑπὸ ξίφεϊ στονόεντι
Δηΐφοβον κατέπεφνε καρηβαρέοντα κιχήσας
ἀμφ' Ἑλένης λεχέεσσι δυσάμμορον.«

Ibi aperte inducit poeta Deiphobum ut maritum Helenae, nusquam vero audivimus, re vera Helenam ei nupsisse. Ad libri decimi v. 345 hoc respicere non potest, alio loco eam rem fuisse narratam oportet. Itaque ea pars carminis, qua hoc continebatur, nec non ceterae illae res, de quibus supra diximus, excidit, fortasse stultitia indocti librarii deleta, qui eam omittendam esse putaret, cum materiam iam antea tractatam inveniret. Hos versus autem, quibus per vaticinationem res nonnullas futuras leviter stringit poeta, ita explico, ut dicam sua hausisse Quintum ex compendio quodam mythologico, in quo inter alias res mors Paridis atque omnia ea, quae ex illa sequerentur, essent tractata.

Transimus nunc ad librum primum, in quo verba facit Noster de Penthesileae Troianis auxilium ferentis tristi exitu. Hic etiamsi vestigia fontis mythographici exstant, ut postea explicabo, tamen praeterea inspexit fortasse Quintus Alexandrinum quendam poetam. De hac opinione cf. Erw. Rohde Griech. Rom., qui pag. 103 ann. 2 recte comparat locum Propertii IV 11, 13 sq. cum Quinto I 659—674 et communem fontem Alexandrinum iis adiudicat. (Falso Struvius diss. part. I pag. 22 putabat locum Propertianum redire ad Cyclicos.) Certe Alexandrinis temporibus amores Achillis ut aliorum hominum copiose describebantur et exornabantur. Quemnam vero Alexandrinorum poetam aute oculos habuerit Noster, difficile est dictu, quum paucissima fragmenta, quae ad mythum Troianum spectent, sint servata. Fortasse vero Euphorionem inspexit cf. Quint. I 300 sqq. (agitur de Nioba):

»ἣ δὲ πέλει μέγα θαῦμα παρεσσυμένοισι βροτοῖσι,
οὕνεκ' ἔοικε γυναικὶ πολυστόνῳ, ἥτ' ἐπὶ λυγρῷ
πένθεϊ μυρομένη μάλα μυρία δάκρυα χεύει«

et. Meineke Anal. Al. pag. 136 = schol. Il. XXIV 602 (frg. Euphor. 135).

»Ζεὺς ἐλεήσας εἰς λίθον μετέβαλεν, ὃς καὶ μέχρι νῦν ἐν Σιπύλῳ τῆς Φρυγίας ὁρᾶται παρὰ πάντων πηγὰς δα-

κρύων προιέμενος. ἡ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι.« Quintum hoc ex ore indigenarum audisse, ut nonnulli volunt, ego non crediderim. Errat vero Rohdius, cum ait l. c.: »Ob die Aethiopis wirklich von Liebe des Achill zu der schönen Feindin redete, scheint mir keineswegs sicher. Achill tödtete den Thersites, sagt Proclus »λοιδορηθεὶς πρὸς αὐτοῦ καὶ ὀνειδισθεὶς τὸν ἐπὶ τῇ Πενθεσιλείᾳ λεγόμενον ἔρωτα.« Wer sagt denn, ob das Gerede wahr gewesen?« Ex silentio Procli concludere in Aethiopide nihil de amore dictum esse falsum est, Proclus nihil aliud dare vult nisi argumentum breve et, si ille quidquam non praebet, quod apud Quintum invenimus, tum nondum de discrepantia loqui possumus. Certe iam in Aethiopide amor Achillis erga Penthesileam adumbratus erat cf. Procl. »κτείνει αὐτὴν Ἀχιλλεὺς, οἱ δὲ Τρῶες θάπτουσιν.« Amor Achillis est causa, propter quam corpus a Troianis sepelitur. Nisi amore victus esset Achilles, mortuam Penthesileam hostibus sepeliendam non tradidisset. (cf. Welcker ep. Cyclus. II 171). Apud Quintum Agamemnon et Menelaus Troianis permittunt, ut Penthesileam sepeliant, Achilles vero hoc fieri patitur. Ceterum Rohdius se ipse refutat, ait enim pag. 42 l. c. »Es scheint, als ob schon in der epischen Aethiopis beim Anclick der Leiche der Feindin ein dem Homer noch ganz fremdes Gefühl einer romantischen Sehnsucht die Seele des Jünglings auf einen Augenblick wie ein kurzer Blitz durchzuckt habe.«

In libro tertio, ubi Achilles mortem obiit, narrat poeta interfectorem eius, Apollinem, in Olympum redeuntem summis conviciis a Junone cumulatum esse. Admonet eum Juno de nuptiis Pelei et Thetidis, quibus ipse interfuisset ac promisisset se filium Thetidis semper adiuturum esse. (cf. quaeso, quae de ratione inter hunc locum Quinti et Aesch. frg. 28 intercedente dixi pag. 16). De hiis nuptiis saepius loquitur Noster, et ex verbosa earum descriptione concludere licet poeticum fontem eum ante oculos habuisse. Dubium non est, quin hoc argumentum poetice ab Alexandrinis tractatum sit. Certe enim Catullus in carmine 64 Alexandrinum exemplum sequitur. Sed inter Catullum atque Quintum discrepautia est memoratu digna. Ille enim v. 299 sq. Phoebum cum Diana domi remansisse neque interfuisse nuptiis illis celebribus ait:

»te solum, Phoebe, relinquens
unigenamque simul cultricem montibus Idri.
Pelea nam tecum pariter soror adsperatast
nec Thetidis taedas voluit celebrare iugalis.«

Quintus vero dicit. v. 100

»ἐν δὲ σὺ μέσσοις
δαινυμένοις ἤειδες.«

Fortasse hic exstat Homerica imitatio cf. Il XIV 63, ubi Juno Apollinem eodem modo obiurgat »πάντες δ'ἀντιάασθε θεοὶ γάμου« (cf. praeterea Pind. Nem. V 22 sqq. Pyth. III 93 Eur. Iph. A. 704. 1040 sqq.), etiamsi negari non potest vv. 103—105:

»καί σευ φορμίζοντος ἐπήϊεν ἀθρόα φῦλα
θῆρες οἰωνοί τε βαθυσκόπελοί τε κολῶναι
καὶ ποταμοί, καὶ πᾶσα βαθύσκιος ἤϊεν ὕλη«

valde redolere Alexandrinorum artem poeticam cf. Ov. Her. XVI 779 sq: »Ilion adspicies, firmataque turribus altis
moenia, Phoebeae structa canore lyrae.«

De Achille mortuo apud Quintum (III, 582 sqq.) lamentantur Musae et Nereides. Certe haec quoque Alexandrinorum fabula erat, nam recte ait Struvius I, 18 :« Propertium (II, 9, 15 »cum tibi nec Peleus aderat nec caerula mater«) ex suo arbitrio mythum immutasse, ut Briseis insignior fieret.« Aliud vero addere debebat, quod Rohdius (l. c. pag. 103 ann. 1) recte monet Quintum et Propertium in lamentationibus Briseidis similem fontem habuisse, poetam eroticum Alexandrinum.

Ceterum hoc loco, ut supra apud Tragicos (cf. pag. 21), inseram enumerationem eorum verborum substantivorum atque adiectivorum, quae Quintus Homero debere non potest, quia apud eum nusquam exstant, quae vero in dictione poetarum Alexandrinorum saepissime sunt usitata:

ἀγρευτήρ (Theocr.), δειράς (Ap. Rh.), δμωΐς (Lyc. 1123. Ap. Rh. I 83 cf. Quint. I 35 VII 680.), ἔρευθος (Ap. Rh. III 398.), ἐσχαρεών (Theocr. 24, 48.), θυηπολία (Ap. Rh. I 1124), θυτήριον (Arat. 402), κεραιαί de cornibus lunae dictum (ut apud Arat. 785. 790.), κηδεμονεύς (Ap. Rh. I, 269), ἡ κοίλη (Theocr. 22, 12.), λιβάς (Ap. Rh. IV 606, 1735.), σπόρος (Ap. Rh. III 413), ὑλακή (Ap. Rh. III 749.), φιλοξενίη (Ap. Rh. III 1108.), ὠρυθμός (Theocr. XIV 217). ἀναλθής (Nic.), βαρύδουπος (Mosch. 2, 116.), βλητός (Call.), ἐρημαῖος (Ap. Rh. IV 1298.), εὐγλαγής (Nic. Ther. 617.), εὔδιος

(Ar., Theocr., Ap. Rh.), *εὐθαλέω* (Nic. frg. 2, 16.), *εὐθαλής* (Mosch. 3, 107.), *εὔσκιος* (Theocr.), *εὔσταχυς* (Nic.), *λαοφόνος* (Theocr. 17, 53.), *νεοθηγής* (Ap. Rh. III 1388.), *νήχυτος* (Ap. Rh. III 530, IV 1367.), *οἰδαλέος* (Nic. Al. 210.), *ὁμήθης* (Ap. Rh. II 917, III 118.), *πολύρροιζος* (Nic. Ther. 792.), *πολυχανδής* (Nic. Ther. 951.), *πολυώδυνος* (Theocr. 25, 238.), *στυφελός* (Ap. Rh. saepius), *τετραβόεις* (Call. Dian. 52.), *φαεσφόρος* (Call. Dian. 204.), *ὠμοβόρος* (Ap. Rh. I 636.)

Vidisti paulo ante Propertium prodere Alexandrinum fontem Quinti. Iam quaerat quispiam: Nonne plures similitudines inveniuntur inter poetas Romanos et Quintum? Et recte admonet, plus enim uno loco exstant illae, praecipue Ovidius saepe magnum praebet consensum cum Nostro, omnia vero huius rei exempla eiusmodi sunt, ut vix ex poeta Romano ipso Quintum libasse putaveris, contra necessario concludendum sit communem fontem duobus poetis subesse, scilicet Alexandrinum quendam poetam. Componamus igitur locos illos, quibus uterque, Ovidius nec non Quintus, sua videatur mutuasse ab Alexandrinis. L i b. I I. Dum Memnon et Achilles inter se pugnant, Aurora et Thetis Quinto auctore procul a coelo calamitatem Memnonis videt, tamen non petit a Jove, ut vitae eius parcat, sicut fecit apud Aeschylum (cf. Plut. de aud. poet. 16 F.) Deinde vero apud Aeschylum (cf. Pollux IV 130), ut apud Arctinum (hoc recte viderunt Welckerus ep. Cycl. et Robertus cf. Than. 11 sqq., Bd. u. Lied 114 ann. cf. Aelian. hist. an. V 1), Aurora ipsa corpus filii aufert, cum apud Quintum ventos auferre iubeat. Hanc Quinti versionem H. Luckenbach. (Das Verhältniss der griechischen Vasenbilder zu den Gedichten des epischen Kyklos JJ. f. cl. Phil. Suppl.-Bd. 11. 1880 pag. 491—638) Arctino quoque attribuit (cf. pag. 618, 610), nisus duobus vasis pictis, quae commemorata invenies

a) Arch. Anz. 1863 pag. 24, 56.

b) Overbeck. Her. Bildw. pag. 533 n. 75.

In iis enim videmus corpus quoddam a duobus daemonibus auferri. De his hoc modo loquitur Luckenbach: »In letzteren hat zuerst Birch Windgötter erkennen wollen, Gerhard und Benndorf sind ihm gefolgt, wogegen Overbeck sich nicht zu entscheiden wagt. Ist diese Deutung richtig, so würden wir also die Version des Qu. Smyrnaeus vor uns haben, der nach alter Poesie gedichtet

hätte.« Num vero »die alte Poesie« Arctinus fuerit, valde dubium mihi videtur esse. Tertium enim vas antiquissimum nigris figuris exornatum (Overb. 532, 72) huic sententiae repugnat, ea vero deliberatio, qua L. hanc discrepantiam tollere studet (»Wenn im Epos Eos um den Memnon Sorge trug und den Winden befahl, ihn davonzutragen, so war es für den Künstler naheliegend, statt dessen Eos selbst darzustellen«) vereor ne speciosior quam verior sit. Sed ne Luckenbachio ipso quidem sententia sua nimis placet, alteram enim praeterea commendat. »Nicht unerwähnt darf eine andere Möglichkeit bleiben, freilich die einzige, die sich noch bietet, dass nämlich der andere Tragiker (Sophocles?) die Quelle des Qu. Smyrnaeus war.« Commemoravi has sententias, iudicium de iis ferre non audeo. Dubium enim est, utrum re vera per daemones illos venti significentur, an, ut Robertus (Than.) vult, Ὕπνος et Θάνατος. Neque L. certus esse in ea re videtur, nam ait: »Ist diese Deutung richtig, so würden wir« etc. Sed quoquo modo res se habet, sive Sophocles sive alius poeta — quem pictores sequebantur — ventos in fabulam Memnonis induxit, certe ex iis ipsis Quintus non hausit, sed per alium fontem hanc novam fabulae formam accepit, ac, ni fallor, est ille fons Alexandrinus quidam poeta. Docet hoc consensus Quinti cum Ovidio. cf. ex. gr. Quint. v. 549.

»Ἠὼς δ᾽ἐστονάχησε καλυψαμένη νεφέεσσιν,
ἠχλύνθη δ᾽ἄρα γαῖα.«

et Ov. Met. XIII 579

»quem lutea campis
vidit Achillea pereuntem cuspide mater,
vidit, et ille color, quo matutina rubescunt
tempora, palluerat, latuitque in nubibus aether.«

Non solum forma fabulae eadem est — apud utrumque enim Aurora mortem filii conspicit de coelo — sed etiam verba mirum quantum congruunt.

Dolorem Aurorae Quintus multis verbis describit (cf. Tryph. 30 Phil. im I 7). Lugentes Aethiopes in aves commutantur. De hac transformatione dubito num Arctinus sit locutus. [1])

---

[1]) Ibi Aurora immortalitetem Memnonis petit a Jove (cf. Procl), aliud

Fortasse Alexandrinis demum temporibus haec fabula inventa est (cf. Luckenbach l. c. pag. 621. »Wie alt diese Sage war, weiss ich nicht zu sagen, möchte ihre Entstehung jedoch nicht vor die alexandrinische Epoche setzen« cf. Serv. ad Aen. I 751), Alexandrinos vero secutus est Ovidius, qui copiose hanc »μεταμόρφωσιν« descripsit. Sed commutari vult Aethiopes per Jovem, qui commovetur Thetidis oratione, quam summa arte fecit rhetoricus ille poeta Romanus. Apud Quintum vero Aurora ipsa transformat comites Memnonis. Ibi enim valde irascitur Jovi neque vult »φάος φέρειν« hominibus, dum a Iove munere suo fungi cogitur. Unde apparet Quintum non potuisse inducere Auroram Iovem implorantem. Tamen tota narratio Quinti simillima est Ovidii et demonstrat Nostrum ad Alexandrinorum artem se applicare (cf. Ov. XIII 607 Serv. ad Aen. I 757.) Verba »εἷς, ἕνα« et »ἄμφω« apud Quintum certe non singulas aves significant, sed alterum vel utrumque agmen avium, ut apud Ovidium v. 612 »quo diversa populi bella gerunt.«

Ad »ὅπλων κρίσιν« Koechly satis longa disputatione demonstravit (cf. ann. ad V 180) persuasum sibi esse Ovidium Met. XIII 1—380 et Quintum V 180—316 in verborum certamine inter Aiacem et Ulixem habuisse ante oculus eundem fontem. Ait ibi: »Contra cum poeta Romano in singulis multis rebus sententiisque consentit, ut, quamquam earum rerum pars forte fortuna utrique alterius ignaro in mentem venire poterat, tamen haud temere conicere liceat aut Ovidium ipsum aut, quod paene verisimilius putaverim, eundem huius auctorem et fontem a Quinto quoque tractatum et hic illic expressum esse.«

Hoc verbis duorum poetarum accurate comparatis libenter concedo. cf. ex. gr. in orationibus Aiacis: Ov. v. 6 »mecum confertur Ulixes«

et Quint. v. 181/182 »τί τοι νόον ἤπαφε δαίμων ἶσον ἐμοὶ φρονέειν.«

vero apud Ovidium »da, precor, huic aliquem solatia mortis honorem.« Quintus utramque fabulam novit, ait enim v. 649:

«Μέμνονι ἦρα φέροντες. ὁ δ' ἐν 'Αιδάο δόμοισιν
ἠέ που ἐν μακάρεσσι κατ' 'Ηλύσιον πέδον αἴης,
καγχαλάᾳ, καὶ θυμὸν ἰαίνεται ἄμβροτος 'Ηώς.«

Ov. v. 7—8.	Quint. 214—16.
» » 9—12.	» 222/23.
» » 21 sqq.	» 236.

Utrobique Aiax Ulixi crimini dat, quod Philoctetam Graeci deseruerint.

cf. Ov. v. 45 — Quint. v. 195/96, deinde propter necem Palamedis valde eum vituperat Ov. 66 sq. — Quint. 197—99. Postremo eum ad certamen singulare provocat cf. Ov. 120—122 — Quint. 229—31.

β) in orationibus Ulixis:

Ov. v. 133/34.	Quint. 256/27.
» » 162 sqq.	» »
» » 141	» 290.
» » 239 sqq.	» 243—55.

Sed haec sufficiant. Quamquam non ignoro eos etiam, quod ad formam narrationis attinet, paullulum dissentire. Ex. gr. apud Quintum uterque bis loquitur, apud Ovidium semel. At tamen hanc diversitatem per se ipsam explicari diversa indole utriusque poetae facile apparet. Si enim Eustathius p. 2798 l. 48. de Quinto ait: »**Καὶ δὴ Κόϊντος διασκευάζει ἐν τοῖς αὐτοῦ τήν δίκην ῥητορικῶς**«, hoc iudicium certe multo magis ad Ovidium quadrat. Is enim demonstrare atque probare studet eloquentiam et astutiam omnia vincere. Itaque orationem Ulixis optime elaboravit. Ulixes adversarium non calumniatur neque ei maledicit, sed rhetoricis artibus maxime praeditus omnes res subtili modo in suum commodum convertit. Quintus vero ad simplicitatem veteris epicae poesis ut semper ita hoc quoque loco regredi studet. Gravior discrepantia in nonnullis r e b u s est. Apud Ovidium non captivi iudicant, sed proceres et, quod statim post iudicium Aiacem vult se ipsum interficere, sequitur formam fabulae, qualis apud Arctinum exstat, neque concinit cum Quinto. Hae vero res non arcte cohaerent cum verborum certamine ipso neglegique possunt. Nam imitatio Alexandrinorum nihil nisi verborum certamen amplectitur; quos fontes in reliquis partibus libri quinti secutus sit Quintus, postea explorabo.

Ceterum duo alii loci Quinti huc spectant, quos paucis adumbrare mihi liceat. I) VII, 208 sq. Ulixes una cum Diomede missus, ut Neoptolemum arcessat, ad illum haec loquitur;

»Καί οἱ ἀποκταμένοιο (Ἀχιλλ.) νέκυν ποτὶ νῆας ἔνεικα
πολλοῖς δυσμενέεσσιν ἀνηλέα πότμον ὀπάσσας.«

ut amicitiam suam erga Achillem ei clare ostendat. Nonne vero haec repugnant narrationi Quinti in libro tertio? Ibi enim neque Aiax neque Ulixes corpus Achillis fert; sed ambo fortiter hostibus resistunt, hostibus vero in fugam conversis (praecipue ab Aiace III, 262) Graeci Achillem ad naves portant. Nihilne igitur hoc est nisi iactatio Ulixis, qui ad Neoptolemum rerum ad Troiam gestarum inscium atque imperitum loquitur? An ad alium fontem respicit? Apud Ovidium quoque (Met. XIII, 284) ait Ulixes ad iudices se corpus Achillis ex pugna abstulisse, sibique soli omne meritum vindicat (v. 373). Itaque, etiam quod ad hunc locum attinet, similitudo exstat inter Ovidium et Quintum, quae ad verborum certamen inter Aiacem et Ulixem spectat et ad Alexandrinos nos vocat. Ac si pergimus quaerere de fontibus totius expeditionis ad Neoptolemum factae, de qua potissimum agitur in libro septimo denuo Alexandrinis occurrimus.

De Deidamia apud Homerum nihil invenimus. Apud Cyclicos vero Achilles contra Troiam profectus Teuthrania capta ac vulnerato Telepho tempestate Scyrum defertur, ubi Deidamiam uxorem ducit cf. schol. Il. XIX, 326 = frg. 4 Il. parv. ed Kinkel et arg. Procl. Cypriorum. Recentior vero fabula est Achillem a matre Scyrum missum esse, ut Graecos — qui eius auxilio egebant — effugeret. Itaque apud recentiores ab Ulixe et Diomede dolo captus Troiam proficiscitur, apud antiquiores vero nemo eum arcessit, sed sua sponte venit. Quintum recentiorum fabulam sequi ex versibus 243—246.

»παρφάμενοι κείνοιο θρασὺν νόον, ὄφρ' ἀφίκηται
δήιον εἰς ἐνοπήν.«

et v. 275 »τῶν δὲ δολοφροσύνῃ καὶ μήδεσιν« apparet. Haec erotica narratio apud Alexandrinos crebro erat pertractata cf. Bion. id. 2. Ovid. a. am. I, 681—702 Met. XIII, 162 sqq. Stat. Ach. I, 207. Apollod. III, 13, 8. Hyg. fab. 96.

Itaque Struvio assentiri non possum putanti I, 43—44 Quintum antiquiores mythographos secutum esse, quod eroticam illam fabulam forti Achillis animo non aptum esse existimaret. Tum enim illa verba, quibus explicat poeta Ulixis et Diomedis »δολο-

φροσύνῃ καὶ μήδεσιν« factum esse, ut Achilles Troiam proficisceretur, nihil valerent neque intelligi possent.

II) IX, 325 sq. »*Κάλχαντος ὑπ' ἐννεσίῃσιν«* Graeci Diomedem et Ulixem mittunt, ut Philoctetam arcessant, non »*Ἑλένου χρήσαντος«*, ut in parva Iliade erat scriptum. cf. Milani. il mito di Filottete pag. 21, ann. 2: Singolare è che Quinto escluda dell'azione Eleno e faccia tutto dipendere dalla profezia di Calcante. ma egli ha certo modificato così la tradizione commune per semplificare il racconto.«

Neque vero recte iudicat Milani, non simpliciorem reddere vult Quintus narrationem, sed alium fontem sequitur, quia Helenum hoc loco adhibere non potest. Is enim apud Nostrum nondum captus est a Graecis. Praeterea vero apud Proclum legimus »*Διομήδης ἀνάγει* (scil. *Φιλ*). Nomen Ulixis casu omissum esse putat Welckerus. Philostratus narrat Her. 5 oraculum Lesbium sagittas Philoctetae postulasse, et eandem formam praebet Hyginus fab. 102 (qui fabulam Euripideam adumbrat): »Quibus posta responsum est sine Herculis sagittis Troiam capi non posse. Tum Agamemnon Ulixem et Diomedem exploratores ad eum misit« etc. »Quibus responsum est« certe nihil aliud significat nisi »oraculum respondit.« Apud Ovidium vero (Met. XIII, 320) Ulixes ait:

»Quem (Phil.) quoniam vates delenda ad Pergama poscunt.«

Respiciendus hic est numerus pluralis »vates poscunt.« Quinam vero sunt illi vates? Certe Graecorum. Ceterum cf. apud Quintum vv. 330—332.

»*καὶ τὸ μὲν ἢ ἀγαθοῖσιν ἐπέφρασατ' οἰωνοῖσιν,*
ἠὲ καὶ ἐν σπλάγχνοισιν ἐπέδρακεν, οὐ γὰρ ἄϊδρις
μαντοσύνης ἐτέτυκτο θεὸς δ' ὣς ᾔδεε πάντα.«

Hoc loco, quomodo res acciderit, haud accurate dicere potest poeta noster, quam ob rem suspicor eum sibi ipsum cogitatione finxisse Calchantem. Fortasse in fonte Quinti nihil aliud erat dictum nisi »vates responderunt«, quod Ovidius quoque exhibet.

Restat quaerere, utrum in describenda Troiae destructione Vergilius ipse fortasse a Quinto esse respectus, an utrique idem vel similis fons Alexandrinus subesse videatur. Primus Tychsenius (praef. pag. 14) consensum quendam inter librum II Aeneidos et ultimos Quinti libros esse contendit, sed ita illas similitudines explicavit, ut diceret, utrumque redire ad Cyclicos. Hac in re

eum errasse quivis videt. Secutus eum est Struvius, qui II, 34 »vel ipsum Vergilium vel eum, quem in his maxime secutus est poeta Romanus, Quinto ante oculos fuisse« putavit. Sed acerrime impugnatus est a Koechlyo, qui ed. min. praef. pag. XIII—XV contra locos ab illo compositos disputavit.[1]) Etiamsi concedo, nonnullos locos Struvio ereptos esse, tamen non semper Koechlyo assentiri possum. Itaque denuo haec res examinanda erit, atque ordiamur, si placet, a fabula Laocoontis, in qua enarranda Vergilius maxime excellit.

De hac fabula, quam Quintus quoque copiose enarrat, diserte egit Robertus in illo libro, qui inscribitur »Bild und Lied« Excurs I »Die Laokoonsage.« Inde discimus eam fabulae huius formam, qua Laocoon, non quod grave scelus in se admiserit (cf. Hyg. fab. 135 »contra voluntatem Apollinis cum uxorem duxisset atque liberos procreasset« aut schol. ad Aen. II, 201 (Serv.): »hic (L.) piaculum commiserat ante simulacrum numinis (Apoll.) cum Antiopa sua uxore coeundo), puniatur, sed quia Danais equum ligneum donantibus non confidat et Troianos incitet, ut illum deleant, qua deinde Aeneas non inducatur urbe cedens adductus his ominibus,[2]) redire ad Vergilium, qui suum in usum mythum ita transformaverit. Recte enim ex schol. Serv. ad Aen. II, 201 enucleasse mihi videtur ille vir doctus, quid Euphorioni tribuendum sit. Sunt haec sola verba »Ut Euphorion dicit, post adventum Graecorum sacerdos Neptuni lapidibus occisus est, quia non sacrificiis eorum vetavit adventum.« Quae sequuntur: »postea abscedentibus Graecis cum vellent sacrificare Neptuno, Laocoon Thymbraei Apollinis sacerdos sorte ductus est, ut solet fieri, cum deest sacerdos certus. hic piaculum commiserat ante simulacrum numinis cum Antiopa uxore sua coeundo, et ob hoc inmissis draconibus cum suis filiis interemptus est« ex alio fonte hausisse Servium mihi persuasum est. Quamquam non ignoro Ricardum Foersterum summo cum acumine contra hanc Roberti sententiam

---

[1]) Hanc editionem minorem denuo edet ac recensebit A. Zimmermann. Quae illi praemonenda esse viderentur, in libro: «Kritische Untersuchungen zu den Posthomerica des Quintus Smyrnaeus« Leipzig 1889 typis mandavit.

[2]) Cf. arg. Procl. Il. Pers. Arct. »ἐπὶ δὲ τῷ τέρατι δυσφορήσαντες οἱ περὶ τὸν Αἰνείαν ὑπεξῆλθον εἰς τὴν Ἴδην« et Dion. Hal. Arch. I, 48.

disputasse (cf. »Über die Entstehungszeit des Laokoon« et »Philologische Parerga zum Laokoon« in »Verhandlungen der 40. Philologen-Versammlung zu Görlitz 1889«, Teubner 1890 pag. 84 sqq.,) tamen a me impetrare non potui, quominus ei adstipuler. Maxime enim me prohibet verbum »historia«, quod succedit (»historia quidem hoc habet, sed poeta interpretatur« etc.). Quum illo verbo utitur Servius, aperte declarat non solum Euphorionem in antecedentibus se sequi, sed etiam alios scriptores. Et schol. ad. Verg. Aen. II, 32 (Serv.,) quod Foersterus comparandi causa affert, me adiuvare videtur. Ibi Euphorione citato ait Servius: »Inde (i. e. ex Euphorione) ergo nunc discimus«; hic vero, quae ex diversis auctoribus hausit, comprehendit, cum dicit: »historia quidem haec habet.« Aliud sane est schol. Il. XXIV, 602: »ἡ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι.«

Sed aberravimus a proposito. Quoquo modo res se habet, prima pars iudicii Roberti de fontibus Quinti pag. 209 semper me habebit adstipulantem: »Es ist bekannt, dass Q. im wesentlichen sich an Vergil anschliesst.« Quid enim? Si Foersterum sequimur ac verba Servii »postea — interemptus est« Euphorionea esse statuimus, nemo censebit illum poetam Alexandrinum Nostro ante oculos versatum esse. Tum enim Euphorion Sophoclem praecipue sequitur et plane abhorret a Quinti versione. Sin autem Roberto assentimur, quomodo Euphorion hanc fabulam narraverit, omnino enucleari nequit. Itaque hoc loco non Alexandrinos, sed certe Vergilium sequitur Quintus. Sed audiamus, quid porro dicat Robertus: »wenn er aber nur die Söhne und nicht Laokoon selbst von den Schlangen getötet werden lässt, so kehrt er damit zu der alten Sagenversion zurück, die er aus einer Hypothesis des sophocleischen Laokoon oder aus einem mythologischen Handbuch, wie Hygins Fabulae, kennen konnte.« Haec sententia in se corruit, si putamus Foersterum recte demonstrasse Sophoclem non solum filios, verum etiam Laocoontem ipsum perire voluisse Et mihi quidem hac in re plane persuasit, verba »οἱ Λαοκοωντίδαι« (cf. Dion. Hal. I 48) significare L. et filios eius. (cf. l. c. pag. 435 sqq.) Itaque primum testimonium eius fabulae formae, qua filii soli interficiuntur, est schol. antiq. ad. Lycophr. 347 (cf. explicat. Scheerii ad Lyc. v. 347. Foerster l. c. pag. 437.), atque hanc sumpsisse Quintum ex fabularum compendio

quodam vel ex scholiis quibusdam nonne verisimillimum est? Vidimus hic subesse Quinto duos fontes, mythographum nec non poetam. A Vergilio enim recedere non possumus, nam certe apud Quintum fundamentum Vergilianum substructum est, et, quicumque descriptionem eius legerit, Vergilii meminerit.

cf. Aen. II 63.	Quint. XII 361.
» » 199.	» » 447.
» » 209—11.	» » 456—58.
» » 212.	» » 464 sqq.
» » 228.	» » 415.
» » 225—27.	» » 478—80.[1]

Cum vero, »hier wie stets seine Schilderung zum Ungeheuerlichen steigernd«, adderet narrationem admodum mirabilem de Laocoonte occaecato undecunque sumptam (neque enim putaverim ipsum eam excogitasse, ut vult Struvius II 34), filios eius tantum a serpentibus occisos induxit. Discrepantias quoque exstare inter Vergilium et Quintum infitiari non possum. Quid autem? Nonne licuit Quinto, quae legerat apud Vergilium, examinare et nonnulla mutare?

Deinde vero altera quoque descriptio Vergilii, quae summis laudibus elata est omnibus temporibus, Quinto certe ante oculos obversabatur, dico emissionem ventorum Verg. I 181 sqq. — Quint. XIV 474 (cfr. Struv. II 81). Quod etiamsi Koechly negat,

---

[1]) Recte hic monet Robertus pag. 204: »Vielmehr sendet Athena — die Schlangen. Dass dies die Meinung ist, zeigen v. 225—227, wo die Schlangen sich unter dem Schild des Athenabildes bergen, zur Genüge, und Quintus Smyrnaeus XII, 448 hat dies vollkommen richtig erkannt.« Sed Quintus paulo post ait cf. v. 480 sqq.:

«τῶν δ' ἔτι σῆμα
φαίνεθ', ὅπου κατέδυσαν ἐς ἱερὸν Ἀπόλλωνος
Περγάμῳ ἐν ζαθέῃ.«

Si quis putat his verbis respicere Q. ad antiquam fabulae formam, qua Apollo malum infert »Λαοκοωντίδαις«, errat. Ipse enim Quintus antea dixit Minervam serpentes misisse. Apollinis vero delubra ob eam tantum rem commemorat, ut locum quendam sua aetate notissimum ex more suo (cf. I, 300, VI 469, X 126 etc.) fabulosa caligine circumdet. Neque vero opus est eum hunc locum ipsum vidisse, fortasse notitiam hausit ex compendio quodam geographico.

tamen cum Struvio existimo per se patere. Nam ipse verborum color poeticus manifeste indicat Vergiliana referre Nostrum. Postremo quis contendere vult, ubi orationem Calchantis legit, qui monet Graecos, ut Aeneae parcant cf. v. 336 sqq. lib. XIII:

»τὸν γὰρ θέσφατόν ἐστι θεῶν ἐρικυδέϊ βουλῇ
Θύμβριν ἐπ' εὐρυρέεθρον ἀπὸ Ξάνθοιο μολόντα
τευξέμεν ἱερὸν ἄστυ καὶ ἐσσομένοισιν ἀγητὸν
ἀνθρώποις, αὐτὸν δὲ πολυσπερέεσσι βροτοῖσι
κοιρανέειν« κ. τ. λ.

Quintum habuisse nullam Aeneidos Vergilii notitiam? (cf. Aen. I 254 sqq. Si igitur nonnullis, quin etiam multis in rebus, ubi Troiae expugnationem describit, recedit a Vergilio, ut postea videbimus, tamen inde nondum concludere licet omnino non novisse eum Aeneidem. Quidni consulto recedere poterat aliis fontibus nisus?

Cap. IV.

De fonte mythographico.

Initium quaestionis huius pepulit Wilamowitzius, ut vidimus, et iam de sententia eius locuti sumus pag. 6—7 et 9—11. In universum statuimus, si omnino demonstrari possit praeter alios fontes Quintum mythographicum quoque libellum inspexisse, necesse esse hoc compendium fuisse maiore ambitu ac varias fabularum formas continuisse. Re vera autem nonnullis locis subesse Quinto fontem eiusmodi per totam antecedentem disputationem vidimus. (cf. pag. 13 de Penthesileae somnio, 14, 15 de nominibus propriis a Quinto usurpatis, 25 de Hecubae somnio, 26, 27 de Astyanacte interfecto, 39 de Oenona 52 de Laocoonte). Pergamus igitur nunc vestigia huius rei persequi atque liceat mihi huic parti disputationis inserere illas res, quae, etiamsi erui non possit, quale fuerit genus ac natura fontis earum, tamen memoratu dignae esse videantur.

Lib. I. Penthesilea. V. 21. Iam supra diximus de causa, qua mota Penthesilea Troiam venerit. Vidimus praeter Quintum Servium solum ad Aen. I 491 huius fabulae esse testem liceatque verba eius repetere. (Nunc video, hanc fabulae formam etiam in Apollodori epitoma a R. Wagnero nuper inventa exstare cf.

l. c. pag. 66: »Ὅτι Πενθεσίλεια Ὀτρήρης καὶ Ἄρεος ἀκουσίως Ἱππολύτην κτείνασα.« κ. τ. λ.) »Penthesilea furens. Furentem ideo dixit, quia sororem suam in venatione confixit simulans se cervam ferire.« (Aliam causam, cur advenerit P., affert Tzetzes P. H. 14 sqq.

»Ἑλλάνικος, Λυσίας δὲ καὶ ἄλλοι ἄνδρες ἀγανοὶ
φὰν ἕνεκα σφετέρης ἀρετῆς ἐπιήλυθε Τροίῃ
κῦδος ἀεξήσουσα, ὅπως κε γάμοισι μιγείῃ«

aliam Dictys III 15 »incertum pretio an bellandi cupidine« Ceterum cf. verba Quinti v. 27/29:

»πρὸς δ' ἔτι οἱ τόδε θυμὸς ἀρήιος ὁρμαίνεσκεν
ὄφρα καθηραμένη περὶ λύματα λυγρὰ φόνοιο
σμερδαλέας θυέεσσιν Ἐρινύας ἱλάσσηται« etc.

cum epitoma Apollodori Vaticana: »καὶ ὑπὸ Πριάμου καθαρθεῖσα.«) Servius igitur explicare vult, quam ob rem Vergilius Penthesileam furentem dixerit. Falsa vero eius interpretatio est, et ipse quoque hoc sensit, addit enim: »Sed hoc per transitum tangit, nam hic furor bellicus intelligitur.« Ex verbis autem supra citatis apparet Servium et Quintum, quod ad hunc locum attinet, similem fontem habuisse. Hunc vero fontem mythographicum fuisse quivis videt. Vergilius certe nihil sciebat de hac fabulae forma; si de ea cogitasset, aliter scripsisset ac »furentem.« Servius vero cupiditate doctrinae explicandae inflammatus ex opere mythographico haec omnia intulit in commentarium. Una vero re differunt Quintus et Servius. Ille ait v. 24/25:

»τὴν γάρ ῥα κατέκτανε δουρὶ κραταιῷ
οὐ μὲν δή τι ἑ κ ο ῦ σ α, τιτυσκομένη δ' ἐλάφοιο.«

Servius vero: »sororem confixit s i m u l a n s se cervam ferire.« Quod in nostro lingua nihil aliud significare potest nisi: »Sie durchbohrte ihre Schwester, indem sie vorgab, nach einem Hirsch zu schiessen.« Hoc autem sensum idoneum non praebet. Neque enim »ἑκοῦσα«, sed »ἄκουσα« Penthesilea sororem necavit. Desideramus igitur pro »simulans« »putans, existimans, cogitatione fingens.« »simulare« = »putare« vero nusquam invenitur (cf. Du Cange lex. gloss. ad scriptoris med. et inf. lat.) Nonnullis locis »simulare« = »similare« est i. e. »similem esse alicui.« Tum vero constructio haec esse debebat: similans ferienti cervam, minime vero Accusativus cum Infinitivo, quem aiunt, a verbo

»similare« pendere potest. Itaque puto Servium errasse, quando vero facilius errare potuit, quam cum ex Graeco fonte mythographico in linguam latinam transverteret? Est igitur »simulans« falsa translatio Graeci cuiusdam vocabuli. [1]) Nomen sororis P. Hippolytam, non exhibet Servius, fortasse ipse addidit Quintus quod illa erat notissima inter Amazones. Equidem haud ignoro alio loco Quinti VII 242 (ubi in enarrandis laboribus Herculis certe mythographicum fontem inspexit, ut infra demonstrabo) Herculem eam devicisse atque crudeliter in eam consuluisse. Neque vero inde apparet, eam ab Hercule interfectam esse, minime enim victoria illa Herculis mortem inculcat Hippolytae, quamquam sunt, quorum enarratio plane discrepet a ceteris, ut ex gr. Apollodorus, qui ait II 5, 9: »τὴν μὲν Ἱππολύτην κτείνας τὸν ζωστῆρα ἀφαιρεῖτει.«

v. 33 sq. Quintus enumerat duodecim socias Penthesileae. Omnes per librum primum narrat interfectas esse atque iterum cuiusque nomen affert. Itaque valde ieiuna haec prior enumeratio, ubi omnia nomina aride composuit scriptor, mihi videtur esse. Ceterum cf. hymnum Homericum in Cererem v. 418 sqq., ubi eodem modo nomina sociarum Proserpinae componuntur. Recte vero Kluegmannus (»Die Amazonen in der attischen Litteratur und Kunst« Stuttgart 1877 pag. 52) observavit Hygini (fab. 163) nomina Amazonidum repraesentare originem multo priorem quam Quinti Smyrnaei I 42 sqq. et Tzetzis Posth. 176 sqq. (cf. Diod. IV 16).

Num in cyclo epico sociae Penthesileae duodecim fuerint, valde incertum. Proclus nihil de illis refert, et ex verbis eius »Πενθεσίλεια Ἀμαζὼν παραγίνεται« equidem concludo cum exercitu, non solum cum duodecim sociis eam advenisse. Quin etiam eam fabulae formam, qua Penthesilea dicebatur advenisse cum magna Amazonum manu, fuisse magis vulgatam existimo. Dictys enim ex. gr. ait IV 1: »cum magna manu reliquisque ex finitumo populis supervenit.« Quam ob rem apud Dictyem »se-

[1]) Fortasse »προφασιζομένη«, »προφασίζεσθαι« enim significat cum »vorgeben«, tum »sich mit etwas entschuldigen, vel »δοκοῦσα«, quod tum false interpretatus est Servius »indem sie sich den Anschein gab.«

orsum a Troianis« pugnat, apud Quintum vero inter agmina Troianorum. Tum cf. Tzetzis Posthom. v. 23:

»πολλοὺς ἄνδρας ἔχουσαν ἀπὸ Σκυθέων κλυτοτόξων
πεζοὺς ἱππέας τε καὶ ἀρηϊφίλους τε γυναῖκας«

et Aen. I 491:

»ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens mediisque in milibus ardet.«

Penthesilea apud Quintum equo, non curru vehitur cf. v. 166 »ἕζετο δ'ἵππῳ.« Ita etiam Arctinum eam induxisse putat Welckerus ac recte quidem, ut opinor, nam in tabula Iliaca, quae in nonnullis partibus redit ad »ὑπόθεσιν« quandam Aethiopidis Arctini depicta est de equo lapsa. Prellerus vero, qui contra hanc sententiam locum Vergili XI 661 affert (cf. Griech. Mythol. II^3 434 ann. 1.):

»seu cum se Martia curru
Penthesilea refert.«

nihil proficit; Vergilius sane hac in re alium fontem inspexit. (Ceterum cf. IX 127, ubi Quintus videtur discernere inter »ἱππῆες« et »ἅρματα.« Tales »ἱππῆες« Homero prorsus ignoti sunt).

v. 722 sqq. In enarranda Thersitae caede maxime distat Noster ab Arctino secundum argumentum Proclianum, ubi legimus: »καὶ ἐκ τούτου στάσις γίνεται τοῖς Ἀχαιοῖς περὶ τοῦ Θερσίτου φόνου. Μετὰ δὲ ταῦτα Ἀχιλλεὺς εἰς Λέσβον πλεῖ καὶ θύσας Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι καὶ Λητοῖ καθαίρεται τοῦ φόνου ὑπ' Ὀδυσσέως.«

Piaculum Lesbi factum plane omittit Noster. Neque seditio oritur apud Graecos. Diomedes solus propter caedem Thersitae Achilli irascitur. Hanc discrepantiam Struvius ex diverso genere caedis ipsius repetere conatur. Apud Quintum enim Achilles Thersitam gravibus colaphis occidit, apud Arctinum sive gladio sive fusti (cf. tab. Il.). Quod vero Struvius I 11 ait: »Achilles Thersitem nudum, manibus in tergum reiectis, genibus innixum aversum caedit«, probare non possum. Nam in tabula Iliaca certe non conspicimus manus Thersitae in tergum reiectas. Sed omnino id, quod Struvius demonstrare studet, mihi non placet. Si ex diverso caedis genere discrepantia inter auctores in enarrandis rebus prodiret, ibi sane crudelius genus caedis esse deberet, ubi maior fit iracundia Graecorum Thersita interfecto i. e. apud Arctinum. Apud

eum vero gladio caeditur Thersites. Num hoc crudelius quam colaphis? Minime! Neque in altera re Struvium sequi possum, quod putat poetam cyclicum respexisse ad Il. II 260. Neque enim ibi minatur Ulixes se Thersitam interfecturum esse, sed ait:

»αὐτὸν δὲ κλαίοντα θοὰς ἐπὶ νῆας ἀφήσω,
πεπληγὼς ἀγορῆθεν ἀεικέσσι πληγῆσιν.«

Sed etiamsi Struvio concederemus ex diversitate caedis sequi discrepantiam succedentium rerum, quid proficeremus? Quam ob rem — tum quaereremus — caedes alia est apud Quintum, alia apud Arctinum? De hac re amplius est disputandum. Valde dubium mihi videtur esse, num in Aethiopide Diomedes Thersitae ultor fuerit. Contra censeo fuisse inferiores in exercitu, qui superbiam Achillis aegre ferentes irascerentur, cum duces gauderent pessimum illum hominem morte punitum esse. Welckeri disputatio (Ep. Cycl. - II $^{172}/_{73}$) Achillem iratum propter seditionem e bello egressum esse atque domum avectum, lusus potius ingenii ubertate abundantis esse videtur, quam vera sententia rationibus firmata.

Duae vero causae mihi persuadent Quinti discrepantiam ab Arctino necessariam esse. Primum Thersites apud posteriores scriptores saepius inducebatur ut garrulus et nequam (etiam in tragoedia cf. Chaeremon), ut fieret quasi prototypon talis hominis et propter eum interfectum nemo succenseret, nulla oreretur seditio, sed omnes gauderent. Ubi tamen scrupuli auctori cuidam exstiterant, Thersitam ille faciebat maximum scelus in se admittentem. cf. Lyc. v. 999:

»ἧς (Penthes.) ἐκπνεούσης λοῖσθον ὀφθαλμὸς τυπεὶς
πιθηκομόρφῳ πότμον Αἰτωλῷ φθόρον
τεύξει τράφηκι φοινίῳ τετμημένῳ«

et schol. ad hunc locum: »ὁ δὲ Θερσίτης λαβὼν (sc. Penthesileam) ἐξώρυξε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῆς.« Itaque tum statim fit iustissima Thersitae caedes. Deinde vero fuerunt, qui iam Homerum vituperarent, quod Diomedem, propinquum Thersitae, iniuriam ab Ulixe illi illatam ulcisci noluisset (cf. Eust. ad. Il. II p. 154.43). Diomedes enim erat cognatus Thersitae cf. schol. ad. Tz. v. 206:

»Διομήδους θεῖος ἦν ὁ Θερσίτης. Πορθέως γὰρ παῖδες Ἄγριος, Μέλας καὶ Οἰνεύς, Ἀγρίου παῖς ὁ Θερσίτης. Οἰνέως δὲ Τυδεὺς, ὁ Διομήδους πατήρ.« Itaque posteriores Diomedem induxerunt, qui causam cognati ultor susciperet, neque vero iam

in cyclo epico, ut vult Jacobsius (cf. ann. ad. l. c. Tz.), hoc factum est. Sed hic quoque modum excesserunt nonnulli atque nimii fuerunt in fabula exornanda. Qui voluerunt a Diomede corpus Penthesileae in Scamandrum flumen esse deiectum (cf. Tz. P. H. v. 206, Dictys IV, 3, Malalas p. 161. Tz. z. Lyc. 999).

His variis fabulae illius formis enumeratis perspicuum mihi videtur esse Quintum habuisse ante oculos libellum, in quo diversae formae fabularum erant compositae. Neminem enim sequitur, sed elegit sua ex multis narrationibus, optimum sumpsit, undecunque sumere poterat. Nam quin optime elegerit, negari non potest. Thersitam non tanti aestimabat, ut dignum eum esse putaret, propter quem seditio oreretur. Itaque »στάσιν Ἀχαιῶν« et piaculum Lesbi factum omittit. Unum vero, qui irasci deberet propter caedem Thersitae, cognatum eius, Diomedem, esse bene intellexit, itaque eum minitantem Achilli induxit, sed non ita multo post ira illius ab Achaeis lenitur. Non negligendi sunt versus 770—773, ubi affinitatis vinculum inter Thersitam et Diomedem tam accurate describit Quintus, ut ille, qui hic de fonte mythographico cogitet, errare mihi non videatur. Et in hisce omnibus rebus bene conspirat Noster cum Servio, qui ad. I, 491 ait» Martis et otrerae filia fuit (Penth.,) quam Achilles, cum adversum se pugnantem peremisset, post mortem eius adamavit eamque honorifice sepelivit« (sepelivit = curavit eam esse sepeliendam i. e. tradidit Troianis).

Lib. II. Memnon. v. 101 sq. In Aethiopide Memnon certe albo, non nigro colore erat. Nam pulcherrimus vocatur in Odyssea IV, 188 et XI, 521 et ob formositatem valde laudatur. Apud Arctinum cum descriptione armorum (cf. verba Procli »ἔχων ἡφαιστότευκτον πανοπλίαν«) fortasse coniuncta erat laudatio pulchritudinis. Polygnotus vero in Necyiis, etiamsi ipsum, ut filium deae, nigrum depingere nondum audebat, tamen servum Aethiopicum ei apposuit (cf. R. Foerster. »Die Physiognomie der Griechen.« Rede. Kiel 1884, pag. 17 et Luckenbach »Verh. der gr. Vasenb. zu d. Ged. d. ep. Cycl.« JJ. 1880, Suppl.-Bd. XI pag. 619 »Wie beliebt es war, den Memnon zwischen Mohren darzustellen, zeigen zwei hübsche sfge. Bildchen, welchen uns den Memnon umgeben von zwei krausköpfigen Mohren vorführen« (cf. 1) München 541. 2) Overb. 513, 29). Posteae poeta Roma-

ni fortasse Alexandrinos secuti eum »nigrum« appellant, ut robore ac fortitudine, non pulchritudine ceteris praestet. (cf. Ov. Am. I, 8, 4 Aen. I, 489, Ov. ex Ponto III, 3, 96). Apud Quintum res dubia esse potest. Tamen credo eum hanc recentiorem fabulae formam adhibuisse, cum Aethiopes »*κυανέους*« (v. 101,) Aethiopiam »*μελάμβροτον*« (v. 32) nominet. Num Aethiopes apud Homerum nigri esse cogitentur, valde dubito, exstat autem iam apud Xenophanem (Clem. Alex. Strom. VII, 4 § 22) »*Αἰθίοπες μέλανες.*«

Tres diversae narrationes inveniuntur de Memnone Troianis auxilio veniente. Aut, ipse princeps Aethiopum, venit a Priamo vocatus itinere per Aegyptum facto (cf. Paus. I, 42, 2, IV, 31, 5 Hdt. V, 53, VII, 151,) aut a rege Assyriorum, Teuthramo, mittitur (cf. Diod. II, 22, IV, 75,) aut Tithonus eum Troiam ire iubet corruptus a Priamo vite aurea (cf. Serv. ad Aen. I, 493). Quam fabulam Quintus legerit, utrum omnes tres noverit unamque elegerit necne, difficile est dictu. Verisimillimum videtur esse sequi eum narrationem primam, nam ipse rex est Memnon neque a quoquam mittitur. v. 388 sqq. Fabula illa, qua Achilles, ut Antilochum ulciscatur, Memnonem adoritur, iam apud Arctinum inveniebatur, quod ex multis vasis pictis apparet. Apud Aeschylum haec non ita se habebant cf. Luckenbach l. c. pag. 616—17. v. 490 sqq. Welckerus (ep. Cycl. II, 179) putat iam Arctinum Psychostasiam a pugna inter Achillem et Hectorem ad hanc inter Memnonem et Achillem pugnam transtulisse. Neque vero hoc crediderim, obstant enim testimonia schol. Il. XXII, 210 »*κῆρας τὰς μοίρας λέγει, οὐ τὰς ψυχὰς, ὡς ἐδέξατο φαύλως Αἰσχύλος*«, ἄλλως »*ὅτι ἐντεῦθεν ἡ ψυχοστασία Αἰσχύλου πέπλασται*« et schol. Il. VIII, 70 «*ὁ δὲ Αἰσχύλος νομίσας λέγεσθαι τὰς ψυχὰς, ἐποίησε τὴν Ψυχοστασίαν*«, denique Plutarchi de aud. poet. 16 F. »*τραγῳδίαν ὁ Αἰσχύλος ὅλην τῷ μύθῳ περιέθηκεν.*«

His testimoniis allatis manifestum fit Aeschylum primum illam Psychostasiam, quae maxime idonea erat ad animos spectatorum commovendos, ad certamen inter Achillem et Memnonem adhibuisse (Hoc recte vidit Luckenbach l. c. pag. 614—15). Apud eum Jupiter sicut in Iliade (XXII, 210) sedet in »*θεολογείῳ*«, »*ψυχὰς*« aut »*κῆρε*« pendens. Apud Quintum res plane aliter se habet. »*Κῆρες*« deae sunt, quae ad pugnantes accedunt (cf. Paus. V, 19, 1. Ibi matres accedunt ad

pugnantes, et fortasse ex ea narratione origo nostrae fabulae est deducenda). De hac discrepantia Koechly dixit in Prolegg. pag. XXV. Putat sua confinxisse Quintum, cum locos supra allatos (Il. XXII, 210, VIII, 70—74) cum Il. I, 410 sq. compararet. Sed hoc falsissimum est. Il. I, 140 enim narrat Achilles se habere duas diversas »κῆρε« i. e. sortes, mortem enim se obiturum esse aut post longam et ingloriosam vitam, aut post brevem eamque summa gloria ac laudibus exornatam. Ne minimam quidem ansam hic locus Quinto praebuit. Itaque hoc quoque loco videmus Homericam imitationem plane alienam esse. »Κῆρες« apud Nostrum saepe inducuntur ut personae, deae (ex. gr. X, 449 »ἔπειγε γὰρ οὐλομένη Κὴρ καὶ Κύπρις« et I, 172 »λυγραὶ δέ μιν ὀτρύνεσκον Κῆρες ὁμῶς πρώτην τε καὶ ὑστατίην ἐπὶ δῆριν ἐλθέμεν.« Apud Homerum »κήρ« maxime nomen appellativum est, raro humana specie induitur cf. Il. XVIII, 535, II, 302). Ita hoc quoque loco accedunt ad pugnantes, non in libra penduntur. Hoc enim negligendum non est Quintum habere multo maiorem numerum deorum inferiorum quam antiquos poetas. At in versu 540 tamen librae mentio fit! Nonne hic locus sententiae nostrae plane repugnat? Minime. Ait ibi Quintus:

»Ἔρις δ᾽ἴθυνε τάλαντα
ὑσμίνης ἀλεγεινά, τὰ δ᾽οὐκέτι ἶσα πέλοντο.«

Non est libra, in qua penduntur »κῆρε« Memnonis et Achillis, sed sunt »τάλαντα ὑσμίνης«, quibus victoria alteri exercitui appenditur cf. VIII, 282:

»ὣς τῶν ἀμφοτέρωθε μάχης ἀλεγεινὰ
τάλαντα ἶσα πέλεν.«

Itaque hic locus non ad fatum singulorum spectat, sed significat sententiam magis generalem. Ubicunque et quandocunque pugnatur, semper »Ἔρις τάλαντα ὑσμίνης ἰθύνει.« (Erravit igitur Luckenbach, cum ait l. c. pag. 615 ann. 2: »Dass Quintus Smyrnaeus die Psychostasie kennt (II, 539 rectius: II, 540,) kann natürlich nichts für den Arctinos beweisen.«) De partitione dearum illarum in »ἐρεμναίην« alteram, alteram »φαιδρὴν« nihil apud alios scriptores inveni. Apud Homerum et alibi »Κῆρες« »μέλαιναι« vocantur, nusquam »φαιδραί.« Certe haec Quinti forma fabulae multo recentior est.

Lib. III. Mors Achillis. v. 186 sqq. De pugna, quae de Achille ab Apolline solo interfecto (cf. pag. 3 Pind. P. III, 101, Soph. Phil. 332 etc.) exarsit, copiose egit Struvius I, 15 sqq. ac demonstravit Quintum valde discrepare a cyclo epico. Ibi Ulixes cum hostibus pugnat, Aiax Achillem aufert ex proelio (cf. schol. Ar. Eq. 1056). Aliter res narratur schol. Od. V, 308, ubi Ulixes corpus auferens, Aiax pugnans inducitur eodem modo, quo in Iliade Patroclo interfecto cum hostibus instantibus pugnat uterque Aiax, auferunt vero corpus Meriones ac Menelaus. Quod vero Struvius ad Quinti narrationem — ubi Ulixes nec non Aiax fortissime hostibus resistunt, dum illos in fugam vertunt, et Graeci, a nullo impediti, corpus Achillis ad naves portant — exponit: »Fortasse ei ob oculos versatus est locus ille de Patroclo interfecto Il. XVIII, 231:

»*αὐτὰρ Ἀχαιοί*
ἀσπασίως Πάτροκλον ὑπ' ἐκ βελέων ἐρύσαντες
κάτθεσαν.«

assentiri ei nequeo. Tota pugna de Patroclo interfecto aliter descripta est in Iliade. Ibi Graeci corpus amici mortui non servassent, nisi Achilles magna voce clamans Troianos deterruisset. De tali eventu nihil apud Nostrum legimus. Neque, quod ad res ipsas pertineat, quidquam hausit ex Od. XXIV, 36—92, quem alterum locum Struvius affert dicens Quintum inde rivulos suos deduxisse. Fortasse, quia legerat Homerum, ex simili argumento nonnullas voces, conexus verborum etc. sumpsit. Rem vero plane aliter videmus ibi enarratam atque apud Quintum. Hic locus rursus demonstrat, quam leviter et parum accurate comparaverint viri illi docti, ut Koechly et Struvius, locos Quintianos cum Homericis. Ubi simile quid in Homeri carminibus invenerant, statim indicabant illum locum esse fontem Quinti. Si omnes fabulas ex Homero conquirere coactus esset Quintus, consuisset ut sartor Posthomerica sua, neque vero, ut verum poetam decet, composuisset carmen illud, cui laudem quandam abrogare non possumus. Sed redeamus ad propositum. Si locum illum Odysseae supra citatum secutus esset Quintus, certe non neglexisset afferre, quod ibi in versu 41 legimus:

»*οὐδέ κε πάμπαν*
παυσάμεθα πολέμου, εἰ μὴ Ζεὺς λαίλαπι παῦσεν.«

Nihil vero de hac re dicit. Ceterum in Odyssea Nestor Argivos, qui Nereides timent, hortatur, ut bono animo sint, cum

apud Quintum Jupiter illis »ϑάρσος ἐμβάλῃ.« Quod ad Ulixem in hoc libro attinet, Struvius ait: »Nimirum aequas in hac re partes ambobus tribuere maluit Quintus, ut iudicium de assignando pretio difficilius esset.« Quod certe falsum, quisque enim, qui Quinti narrationem perlegerit, intelliget eum voluisse Aiacem fortiorem ac maiore laude dignum esse, cum in Aethiopide multo magis aequae partes ambobus tribuantur, ut mulieres Troianae valde dissentiant de aestimando utroque (cf. frg. 2 parv. Il. ed. Kinkel = schol. Ar. Eq. 1056).

III. v. 619—624 Thetis de filio amisso valde lamentatur atque narrat multas iam iniurias se passam esse. Nuptias enim cum Peleo factas minime sibi placuisse cf. v. 619—622.

»ἀλλ' ὁτὲ μὲν ζαὴς ἄνεμος πέλον, ἄλλοτε δ' ὕδωρ
ἄλλοτε δ' οἰωνῷ ἐναλίγκιος ἢ πυρὸς ὁρμῇ.
οὐδέ με ϑνητὸς ἀνὴρ δύνατ' ἐν λεχέεσσι δαμάσσαι
φαινομένην, ὅσα γαῖα καὶ οὐρανὸς ἐντὸς ἐέργει.«

Haec forma fabulae a poeta Cypriorum primo usurpatur (cf. Graef. Peleus und Thetis. Jahrbuch d. arch. Inst. Bd. I, 1886), ab Homero enim plane aliena est. Ibi dei ipsi Peleo Nereidem uxorem dant, quia ille »φίλος« immortalium est. Posteriores vero referunt Themide (Pind. I. VII, 26, Ap. Rh. IV, 783; Apollod III, 13, 5) aut Prometheo (Aesch. Prom. 909. Hyg. 54. schol. Il. I, 519. Apollod. l. c.) monente deos Thetidem in matrimonium viro mortali dedisse, ne filium a Iove conciperet — hunc enim fortiorem fore quam patrem fatum voluerat. Quod aegre ferentem Thetidem crebris mutationibus restitisse marito concumbere studenti, tandem vero ab eo victam esse. Hanc metamorphoseon fabulam invenimus enarratam Pind. Nem. III, 35, IV, 62, Hdt. VII, 191. Apollod. III, 13, 5 »γινομένην δὲ ὁτὲ μὲν πῦρ, ὁτὲ δὲ ὕδωρ, ὁτὲ δὲ ϑηρίον« κ. τ. λ. Ov. Met. XI, 260 sqq. Ibi Proteus vaticinatur, et scholiasta ad Nem. Pind. III, 60 de illa ait: »δημώδης ὁ λόγος, ὥσπερ καὶ ὁ Πρωτεὺς τὴν φύσιν ἤμειβεν.«

Eam novisse Quintum ex hoc loco apparet, simul vero non inscius videtur fuisse illarum duarum fabularum, quibus aut Themis aut Prometheus Iovi dicuntur suasisse, ut de Thetidis concubitu desisteret. Inducit enim Prometheum nuptias Thetidis cum Peleo iubentem V, 338, et ad Themidem vaticinantem alludere videtur IV, 136. Hic — ubi tres formas eiusdem fabulae invenimus ad-

hibitas — non absonum esse existimo de fonte mythographico cogitare. Apollodorus quoque in bibliotheca l. c. praebet diversas illas formas. In describendis vero mutationibus Quintus, qua par est consuetudine, nimius fuit, nam non solum in ignem, aquam, bestias se transformat Thetis, sed etiam fit »ζαὴς ἄνεμος« et »ὅσα γαῖα καὶ οὐρανὸς ἐντὸς ἐέργει« cf. schol. Pind. III, 60 = Soph. Troil. »τῇ παντομόρφῳ Θέτιδι.«)

v. 770 sq. Neptunus Achilli dat Leucam insulam ponti Euxini, ubi tamquam deus colatur. Ipsum vero Achillem in Elysio habitare Quintus auctor est XIV, 224 (ceterum cf. III, 773

»οὐ γάρ μιν μόρος αἰνὸς ὑπὸ ζόφον αἰὲν ἐρύξει
οὐδ' Ἀΐδης, ἀλλ' αἶψα καὶ ἐς Διὸς ἵξεται αὐγάς.«)

De hac forma fabulae cf. schol. Apoll. Rhod. IV, 814 »ὅτι δὲ Ἀχιλλεὺς εἰς τὸ Ἠλύσιον πεδίον παραγενόμενος ἔγημε Μήδειαν πρῶτος Ἴβυκος, μεθ' ὃν Σιμωνίδης.« et locum Apollonii ipsum IV, 811 »εὖτ' ἂν ἐς Ἠλύσιον πεδίον τεὸς υἱὸς ἵκηται.«

Itaque valde dissentit Noster ab Arctino, apud quem Thetis corpus filii »εἰς Λεύκην διακομίζει.« Philostrati fabula (Her. 746) imprimis nostrae similis est. Ille enim ait precibus Thetidis commotum Neptunum effecisse, ut illa insula e mari emergeret., in qua habitarent Helena atque Achilles. Non dubito, quin noverit Quintus hoc matrimonium inter Helenam et Achillem, nam nusquam fere de Leuca insula dicitur, ut non huius quoque rei mentio fiat. Tamen eam omisit, quia personam Helenae ad Homeri simplicitatem reducere volebat. Videmus igitur varias fabulas Quintum confudisse, alteram, qua in Elysio, alteram, qua Leucae in insula dicitur habitare Achilles, hanc posteriorem ita immutantem, ut ibi vellet Achillem ab incolis coli tanquam deum (cf. Pind. Nem. IV, 49. Arrian. Peripl. p. Eux. pag. 21. Anon. Peripl. P. Eux. pag. 10 sqq.)

Lib. IV. Ἆθλα ἐπ' Ἀχιλλεῖ. Proclus ait: »οἱ δὲ Ἀχαιοὶ τάφον χώσαντες ἀγῶνα τιθέασι.« Struvius putat (I, 20) hoc fortasse parum accurate dictum esse atque in Aethiopide quoque Thetidem ipsam ludos in honorem fillii instituisse. Hoc plane nego; dubium non est, quin Thetis ludis non interfuerit, alioquin

Proclus eam commemorasset. Itaque huius quoque fabulae Quintianae origo recentior esse videtur. [1])

Lib. V. *Ὅπλων κρίσις.* In describendo armorum iudicio Quintus narrationes Arctini et Leschis (Il. parv.) coniunxit. Apud Arctinum enim Troiani, captivi Graecorum, ab Agamemnone iussi iudicium dant de assignandis armis Achillis, Aiax vero, ubi arma non accepit, statim ira atque dolore superatus manus sibi infert. (schol. Harl. Od. XI, 547; Welcker ep. Cycl. II, 179 sq.), minime autem in insaniam incidit. Contra apud Leschem Nestore suadente speculatores mittuntur, qui sententias Troianarum mulierum in moenibus stantium auscultent. Quae cum Ulixem fortiorem atque Troianis magis periculosum declaraverint, Aiax insaniens se ipse vita privat (cf. schol. Ar. Eq. 1056). De ratione, quae inter has duas fabulae formas intercedit, dixerunt Struvius I 27, Welcker ep. Cyclus II 177 sqq., Robert »Bild und Lied« pag. 220—221. Robert vero errat, cum ait: »Die Erklärung des Scholiasten (schol. Harl. Od. XI 547), dass Agamemnon die gefangenen Troer habe richten lassen, ist augenscheinlich erst aus dem Odysseevers erschlossen. In keinem Falle haben wir ein Recht, dieselbe für Arctinos vorauszusetzen.« Fateor me hoc non plane intelligere. Unde scholiasta nomen Agamemnonis haurire poterat? Ex versu illo Odysseae XI 547?

»*παῖδες δὲ Τρώων δίκασαν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη*«?

Minime! Adiicit vero scholiasta:

»*ἀθετεῖ Ἀρίσταρχος* (scil. hunc versum). *ἡ δὲ ἱστορία ἐκ τῶν κυκλικῶν.*« Scit igitur narrationem pertinere ad cyclum epicum, ut manifectum sit verba antecedentia »*ὁ Ἀγαμέμνων — αἰχμαλώτους τῶν Τρώων ἀγαγὼν ἠρώτησεν, ὑπὸ ὁποτέρῳ τῶν Ἀχαιῶν μᾶλλον ἐλυπήθησαν, εἰπόντων δὲ τὸν Ὀδυσσέα τῶν αἰχμαλώτων δηλαδὴ ἐκεῖνον τὸν ἄριστον, τὸν πλεῖστα λυπήσαντα τοὺς ἐχθροὺς ἔδωκεν εὐθὺς τῷ Ὀδυσσεῖ τὰ ὅπλα.*« redire ad hypothesin quandam Aethiopidis. Neque enim ad parvam Iliadem Leschis spectare possunt. (cf. schol. Ar. Eq. 1056). Quintus, ut supra dixi, confudit illas duas fabulas, captivos iudicantes

---

[1]) Ceterum cf. Apollodori bibl. frg. Sabbaitica l. c. p. 171 »*τιθέασι δὲ ἐπ' αὐτῷ ἀγῶνα, ἐν ᾧ νικᾷ Εὔμηλος ἵπποις, Διομήδης σταδίῳ, Αἴας δίσκῳ, Τεῦκρος τόξῳ.*«

facit »κατὰ Ἀρκτῖνον,« Aiacem vero insanientem inducit »κατὰ Λέσχην.«

Hoc loco paululum subsistamus, ut recte perspiciamus, quam caute ac circumspecte agendum sit, ut ex brevibus annotationibus, quae nobis apud scholiastas, mythographos, alios scriptores servatae sunt, recte, quod epici illi antiqui praebuerint, restituamus. Exhibet enim argumentum Proclianum de parva Iliade Leschis haec »ἡ τῶν ὅπλων κρίσις γίνεται. καὶ Ὀδυσσεὺς κατὰ βούλησιν Ἀθηνᾶς λαμβάνει.« Welckerus ep. Cycl. II 237 vertit »κατὰ β. Ἀθ.« »nach dem Willen der Athene.« Si aliud fragmentum de hac re nusquam exstaret, certe existimaremus suadente Minerva ab Achaeis Ulixem arma accepisse. Sed exstat testimonium schol. Ar. Eq. v. 1056, quod aliud nos docet: »ὅτι διεφέροντο περὶ τῶν ἀριστείων ὅ τε Αἴας καὶ ὁ Ὀδυσσεὺς, ὥς φησὶν ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα πεποιηκώς. Τὸν Νέστορα δὲ συμβουλεῦσαι τοῖς Ἕλλησι πέμψαι τινὰς ἐξ αὐτῶν ὑπὸ τὰ τείχη τῶν Τρώων ὠτακουστήσοντας περὶ τῆς ἀνδρείας τῶν προειρημένων ἡρώων, τοὺς δὲ πεμφθέντας ἀκοῦσαι παρθένων διαφερομένων πρὸς ἀλλήλας, ὧν τὴν μὲν λέγειν, ὡς ὁ Αἴας πολὺ κρείττων ἐστὶ τοῦ Ὀδυσσέως διερχομένην οὕτως.

»Αἴας μὲν γὰρ ἄειρε καὶ ἔκφερε δηϊοτῆτος
ἥρω Πηλείδην οὐδ' ἤθελε δῖος Ὀδυσσεύς«
τὴν δ' ἑτέραν ἀντειπεῖν Ἀθηνᾶς προνοίᾳ
»πῶς ἐπεφώνησω; πῶς οὐ κατὰ κόσμον ἔειπες;
καί κε γυνὴ φέροι ἄχθος, ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείη.«

Quivis videt illud »Ἀθηνᾶς προνοίᾳ« esse idem, quod in argumento Procliano vocatur »κατὰ βούλησιν Ἀθηνᾶς.« Nunc demum hoc recte intelligimus; significat Minervam Troianis mulieribus verba Ulixem laudantia iniecisse, quibus adducti Graeci Ulixem dignum esse armis Achillis putarent.

Lib. VI. Euryplus Troianis auxilium fert.

v. 137 sq. De genere Eurypyli loquitur Quintus atque ait patrem eius Telephum quondam infantem esse expositum et a cerva nutritum. Haec forma fabulae nisi apud recentiores vulgata non erat. Fortasse redit ad Euripidis Augam (cf. Nauck frg. tr. pag. 347 sq.) cf. Paus. VIII 48, 5. Hyg. fab. 99. Optime vero cum Apollodori narratione concinit Quintus, quam proxime ad fabulam Euripideam accedere verisimile est (cf. Pilling

»Quomodo Telephi fabulam et scriptores et artifices veteres tractaverint.« Diss. Hal. Sax. 1886 pag. 28, 35.

cf. Quint. VI 140/41.

»θρέψε θοὴ — κεμμάς — βουλῇ Διός.

Apollod. II 7, 4.

»κατὰ θεῶν τινα πρόνοιαν ἐσώθη. θηλὴν μὲν γὰρ ἀρτιτόκος ἔλαφος ὑπέσχεν αὐτῷ.«

Tum describit Noster »ἀσπίδα δῖαν« Eurypyli, in qua »ἔκειτο, ὁππόσα πρόσθεν ἔρεξε θρασὺ σθένος Ἡρακλῆος.« Quod Struvius I 37 opinatur opus anaglyphum in describendo hoc scuto ante oculos habuisse Quintum, probare non possum. Neque vero propter illam causam, quam attulit Koechly (»cavendum, ne Quintum doctiorum faciamus, quam re vera fuit«) non probo, sed quia tale opus anaglyphum, quale Quintus describit, nunquam re vera factum esse iudico. Non solum notas illas duodecim res ab Hercule gestas in scuto factas esse vult poeta, sed etiam:

»ἄλλα δ' ἄρ' Ἀλκείδαο θρασύφρονος ἄσπετα ἔργα
ἄμφεχεν Εὐρυπύλοιο διοτρεφέος σάκος εὐρύ.

Neque minus ex tota ratione atque indole descriptionis intelligere oportet, quicunque eam perlegerit, hunc Quinti locum non ex opere quodam anaglypho, sed ex libro mythographico fluxisse, in quo pedestri sermone res ab Hercule gestae enumeratae essent. Neque enim uno ex loco scuti, ex medio vel extremo, initium capit poeta neque iusto ordine pergens perspicuam imaginem pulcherrimi illius scuti nobis ante oculos ponit, sed incondite enumerat singulas res eo ordine, quo in fonte invenit. Conferas ex. gr. locutiones copulativas: »ἀμφὶ δ' ἔην, ἐν δὲ, ἄγχι δὲ, ἑξείης δὲ, αὖθ' ἑτέρωθι«, quae ne minimam quidem ansam praebent singulis scuti locis singulas res narratas assignandi. Ceterum de talibus rerum enumerationibus ab Hercule gestarum cf. Diod. IV 15, Apollod. II 4, 8 sqq., qui similem ordinem praebent, deinde Hyg. fab. 30. Haec Hygini fabula praecipue digna est, quae cum Quinto conferatur. Ordo fere idem, nisi quod detractio baltei Hippolytae (ceterum hic locus apud Hyginum corruptus videtur esse) apud Quintum antecedit caedem Diomedis atque equorum eius. Praeterea vero Hyginus, etiamsi, ut titulus docet, nihil aliud enumerare vult nisi »Herculis XII athla ab Eurystheo imperata«, tamen initio addit: »Infans cum esset, dracones duos duabus manibus necavit,

quos Iuno miserat, unde primigenius est dictus.« At haec res minime est »ἆθλον« ab Eurystheo ei imperatum, neque video, qua re motus Hyginus eam in hanc fabulam receperit. Idem vero mirum in modum exhibet Quintus. cf. v. 200—207. Sequuntur apud Hyginum fab. 31 »parerga Herculis.« Ex his elegit Quintus »cetum, cui Hesiona fuit apposita.« Cetera non nominat cf. v. 292/93.

Eurypylum venisse eam ob causam, quod Priamus matrem eius (Astyocha, uxor Telephi a Quinto, ut plerumque, soror Priami appellatur. cf. Eust. ad Od. pag. 1697, 32 Apollod. III 12, 3. Dictys vero (II 5) vult eam esse filiam Priami) dono vitis aureae corrupisset, omisit narrare Noster. Haec vero fabula apud Homerum invenitur (cf. Od. XI 421 »γυναίων εἵνεκα δώρων«), ut denuo intelligamus saepe Quintum ab Homero consulto recedere. Sequitur inde a versu 294 »ἀριστεία« Eurypyli. Inter alios Nireum et Machaonem occidit. Machaonem iam apud Leschem ab eo interfectum esse narrat Paus. III 26, 7. Num Nireus quoque ceciderit, incertum. Suspicari vero licet ex commemoratione eius apud Hyginum. Apud eum enim legimus fab. 113:

»Eurypylus Nireum, idem Machaonem (sc. occidit«). Fab. 108 vero refert Machaonem una cum ceteris ducibus Graecorum in equo ligneo sedisse.

Hac versione igitur, quae ad Alexandrinos videtur redire (cf. Serv. Verg. Aen. II 263), Quintus usus non est.

Lib. VII Neoptolemus arcessitur. Omnia, quae in hoc libro memoratu digna esse videbantur, iam supra exposui cf. pag. 32/33 et pag. 47/48.

Lib. VIII Eurypyli mors. Certamen singulare inter Eurypylum et Neoptolemum apud Philostratum quoque (im. X) descriptum est, at tamen omnes similitudines, quas invenimus, ambo scriptores cum aliis habent communes, nihil vero apud eos legimus, quod alienum sit a recentiorum imitatione. Neque vero discrepantiae desunt. Apud Philostratum enim defessi Troiani pugnae illo die non intersunt, solus Eurypylus una cum Ceteis proeliatur, apud Nostrum vero omnes Troiani Eurypylo duce pugnam cum Graecis ineunt. Neque in morte Eurypyli consentiunt. An est idem, quod apud Philostratum Eurypylus »κατὰ τῆς μασχάλης« vulneratur, apud Quintum vero »δι' ἀνθερεῶνος.« I 49? Itaque errat Struvius, cum ait: »In his bene consentit Noster.«

Lib. IX Philoctetes arcessitur. v. 8 sq. Antenor hic inducitur fidelis erga Troianos non, ut recentiores eum esse voluerunt, proditor ac perfidus. Petit enim a Iove, ut, si velit Troiam diruere, statim hoc faciat:

»ἔρξον ἄφαρ μηδ' ἄμμι πολὺν χρόνον ἄλγεα τεῦχε«

Menoetes vero, praeco Troianorum (v. 34), fortasse idem est, quem Vergilius in classe Aeneae gubernatorem Gyantis nominat (cf. Aen. V 161 sq.) Deinde Ascanius (qui v. 192 nominatur) potest esse filius Priami cf. Apollod III 12, 5. Certaminis vero inter Neoptolemum et Deiphobum descriptio tota (v. 210 sqq.) ad Homeri exemplar respicit. (cf. cert. int. Hect. et Ach. lib. XXII).

Lib. X Paris et Oenona. vid. supra pag. 37 sqq.

Lib. XI Proelium circa moena Troiae. vid. supra pag. 14/15.

Lib. XII Equus ligneus. Laocoon. Quinto auctore Epeus equum ligneum exstruit a Minerva adiutus cf. Od. VIII 493: »τὸν Ἐπειὸς ἐποίησε σὺν Ἀθήνῃ.« Apud Vergilium, etiamsi equus aedificatur »divina Palladis arte« (II 15), tamen Epeus »fabricator equi« (II 264) nominatur. In argumento Procliano legimus (Lesch. Il. parv.) Epeum »κατὰ προαίρεσιν Ἀθηνᾶς« illud opus fecisse. Haec forma fabulae conspirat cum Hygino, qui ait fab. 108: »monitu Minervae fecit.« Ulixem suasisse, ut equus exstrueretur, testatur schol. Il. II 278. Apud Vergilium vero Sinon narrat Calchantem illud consilium dedisse II 185. Has duas fabulae formas contaminatas praebet Noster, Calchas enim vaticinatur nisi dolo Troiam captum non iri, Ulixes vero invenit genus doli i. e. equum ligneum.[1]) In universum autem mythus Quinti Aeneidi inprimis similis est.

De Sinone comparanda est narratio Vergilii cum Quinto. Multis in rebus dissentiunt. Apud Vergilium se ipse mutilat, apud Quintum vero Troiani irati, quod illis quaerentibus respondere non vult Sinon, ei nasum auresque desecant. Quam ob rem vero Sinon respondere nolit, non intelligo. Deinde apud Vergilium prior pars fabulae Laocoonteae narratur, priusquam Sinonem reperiunt Troiani (atque reperiunt eum palude se occultantem, non

---

[1]) Ceterum Graecos Ulixe monente Tenedum navigasse, Malalas quoque refert p. 143.

ad pedes equi lignei, quo fugit Quinto auctore, ut Danai sibi parcerent cf. XII, 385). Illam vero fabulae formam, qua Graeci dicebantur inscripsisse in equo »Danai Minervae dono dant« (Hyg. fab. 108), Vergilio quoque fuisse notam suspicor. Ad eam enim respiciunt verba Laocoontis »timeo Danaos et dona ferentes« (II, 49,) neque aliud quidquam significare possunt. Similiter hoc tangit Noster v. 237 »ἐλπόμενοι Τριτωνίδι δῶρον ἄγεσθαι.« In orationibus vero Sinonis magnam invenies discrepantiam. Verbose enim atque rhetorice primum de se atque calamitate sua, deinde de equo ligneo loquitur Sinon apud poetam Romanum, apud Quintum vero oratio eius multo brevior est et magis quadrat ad simplicitatem epicam. Multa nomina heroum, qui in equum ascenderint, affert Quintus. Recte Struvius locum Athenaei XIII p. 610 commemorat: »τί γὰρ ὄφελος τῶν τοσούτων ὀνομάτων, ὦ γραμματικέ, πάντας ἐπιτρῖψαι μᾶλλον ἢ σωφρονίσαι δυναμένων τοὺς ἀκούοντας etc. Ex hoc vero loco non solum apparet — quod Athenaeus paulo post dicit — Sacadam plurima nomina dedisse, sed etiam in fabularum libellis magnum nominum numerum traditum esse. Ceterum cf. Eust. locum ad Od. XI, 522 »φασὶ δὲ τοὺς εἰς αὐτὸν καταβάντας τινὲς μὲν, ὧν καὶ Στησίχορος, ἑκατὸν εἶναι κ. τ. λ.

Lib. XIII. Destructio Troiae. In hoc quoque libro mirum est, quantum recesserit a Vergilio Noster! Vergilio teste (VI, 518) Helena facem sustulit (cf. Hyg. fab. 249,) neque huic loco repugnat alter II, 256 »flammas cum regia puppis extulerat.« Haec enim verba nihil aliud significant nisi Agamemnonem face sublata signum dedisse Troiam navigandi. Quintus vero nusquam tradidit Helenam culpam proditionis Troianorum in se commisisse, neque vult facem eam sustulisse, neque Deiphobum ipsam prodidisse Menelao (cf. Verg. Aen. VI, 525 »intra tecta vocat Menelaum.«) Coroebus ibi a Peneleo occiditur (cf. Aen. II, 341. Euph. frg. 153 = Anal. Al. Mein. pag. 153), hic a Diomede. Haec forma fabulae redit Pausania (X, 27, 1) auctore ad Leschem. Ibi Priamus petit a Neoptolemo, ut vitae suae parcat, hic mortem optat.

Venimus nunc ad Helenae reditum in gratiam Menelai. Engelmannus in lexico Roscheriano s. v. Helena existimat Quintum Ibycum sequi, concludit enim hoc ex schol. Aristoph. Lys. 155, ubi dicitur Ibycus Menelaum induxisse abicientem gladium, cum

esset vietus pulchritudine pristinae uxoris. Eandem rem exhibet Quintus. Sed exstat testimonium scholiastae ad. Eur. Andr. 629, quo demonstratur in templum Veneris Helenam fugisse: »ἄμεινον ᾠκονόμηται τὰ παρὰ Ἰβίκῳ. εἰς γὰρ Ἀφροδίτης ναὸν καταφεύγει ἡ Ἑλένη κἀκεῖθεν διαλέγεται τῷ Μενελάῳ, ὁ δ' ὑπ' ἔρωτος ἀφίησι τὸ ξίφος.« cf. Luckenbach l. c. pag. 633 »Ob bei Leches Helena zu einem Götterbilde ihre Zuflucht nahm, wird nicht überliefert; Ibykos liess sie in den Aphroditetempel flüchten, wie es nach der »tabula Iliaca« scheint, folgend dem Stesichoros. — Wie weit in Einzelheiten das Bild (tab. II.) sich an Stesichoros anschliesst, ist schwer zu sagen, nur möchte man vermuthen, dass nach ihm Menelaos das Schwert nicht fallen liess.« Haec omnia non dubito Luckenbachio concedere. itaque erraverunt Engelmann et Noack l. c. pag. 38, qui quaerit: »Quidni ex. gr. Quinti Smyrnaei fabulae formam XIII, 39 sqq. (rectius: 390 sqq.) putamus Stesichoream esse?«

Videmus igitur fabulae huius actionem in templo numinis cuiusdam (cf. vasorum fictilium picturas a Luckenbachio pag. 635 commemoratas) apud antiquos poetas esse gestam. Apud Quintum vero res accidit in domo Deiphobi. Illa — certe antiquior — forma fabulae evanuit, cum postea vulgaretur Helenam prodidisse Deiphobum, scenaque in domum eius translata. Quintus igitur hoc loco versione multo recentiore utitur.

Pulcherima est narratio de Aethra a nepotibus inventa. Hic facile quis dixerit tantam formositatem narrationis fluxisse ex poeta quodam, quem inspiceret Quintus. Neque primo obtutu huic sententiae aliquid repugnat. At quaeramus accuratius. Sequitur post hanc narrationem fabula de Laodica, sed valde abrupte, ut mihi quidem videtur. Nam etiamsi poeta singulas tantum imagines destructionis, easque maxime dignas commemoratione, profert, tamen haec fabula, qua finis imponitur libro tertio decimo, valde inferior praecedente est, eaque re habet minus bonum exitum hic liber. Hanc difficultatem ita explicare studeo. In fonte mythographico Quintus juxta Demophontem et Acamantem invenit commemoratam Laodicam fatumque eius enarratum, nam cum altero ex iis dicebatur concubuisse atque filium nomine Munitum partum Aethrae educandum tradidisse (cf. Parth. narr. am. 16. Plut. Thes. 35. Tzetz. Antehom, 156).

De amore inter filios Thesei et Laodicam nihil Noster, neque hoc mirum, at tamen eodem loco, quo de Demophonte et Acamante loquitur, Laodicam quoque affert. Quodsi vero Struvius II, 67—68 ad v. 520

»ὁππότ᾽ ἄρ᾽ αὐτοὺς
ὑσμίνης ἀπάνευθεν ἀπεκρύψαντο τιθῆναι.«

ait: »Quod autem refert Quintus pueros procul a pugna a nutricibus absconditos fuisse, id certe ex antiquo fonte, nobis vero etiam nunc ignoto hausit«, assentiri ei non possum. Contra existimo Quintum hoc ipsum male addidisse; quo modo enim liberi Phaedrae una cum Helena Aphidnis esse poterant? Tum omnino iam nati erant? Mihi valde dubium! Quintus vero, qui ut aliis locis ita hic quoque doctrinam atque eruditionem suam demonstrare vult, congessit multas de Theseo et Aethra fabulas annectens locutione illa (quam saepius adhibet cf. I, 9): »μνησάμενοι τοκῆος ὅσ᾽ ἔρεξε« κ. τ. λ. Cum vero Demophon et Acamas meminerint illarum rerum, quas commemorat Quintus, oportet ipsos Aphidnis fuisse ac servatos esse — ergo poeta ipse excogitavit mente nutrices eos abscondidisse.

Lib. XIV. *Νόστοι.* v. 365 sq. Calchantem una cum Amphilocho remansisse praeter Nostrum schol. Il. II, 134 quoque testatur. Scholiasta sequitur Theopompum, Theopompus vero, ut historicus, aliam huius rei causam affert ac Noster. Putabat enim remansisse eos, quia naves essent putrefactae (cf. Il. II, 135 »καὶ δοῦρα σέσηπε νεῶν«). Quae tametsi discrepantia exstat, tamen discimus etiam tum Calchantem una cum Amphilocho remanentem esse inductum. v. 399—402. De sorte Antenoris post expugnationem urbis nihil certi comperimus.

Exstant de illa diversae fabulae, inter quas recentissima ea est, qua dicitur Antenor novum regnum Troiae instituisse, ut Dictys V, 17 et Dares cap. 43 narrant. Hanc non sequi Nostrum inde apparet, quod postea totam Troiae regionem inundatam omniaque fluctibus solo aequata esse refert. Potius cogitasse videtur de fabula illa, qua cum Henetis in Italiam emigrat Antenor (redit ad Sophoclis Antenoridas). Priusquam vero proficisitur, saltem mortuos sepelit.

v. 611 sqq. Nauplium nisi in transcursu non tangit, deinde paucis alludit ad Odysseam (cf. supra pag. 3,) tum vero finem operis totius

facit splendidissimis atque ornatissimis verbis enarrans loca, quibus bellum saevisset, omnia maris impetu dis adiuvantibus esse diruta atque evanuisse ex terra.

Hunc mythum, ad quem alludit iam Homerus (VII, 461, XII, 17—31 Il,) certe iam Alexandrini uberius exornaverunt (cf. Aen. II, 608 sqq.,) quos fortasse sequitur Quintus.

Quoniam ad finem totius quaestionis progressi sumus, restat, ut, quae disputavimus, sub uno quasi conspectu comprehendamus. Videmus ubique fere narrationem Quinti colore poetico exornatam esse, ubique lumina sermonis sibi suppeditasse eum poetas celeberrimos, Homerum, Hesiodum, Tragicos, Alexandrinos, Vergilium adeundo. Iam vero si praeterea aperte vestigia fontis mythographici exstant — atque hoc satis superque demonstrasse mihi videor — nonne hunc fontem fundamentum quasi ceterorum esse statuemus, quo substructo opus condidit poeta, sed ita, ut in molienda re occupatus huc illuc vagaretur et a poetis, quos legerat, optima, quaeque, undecunque poterat, sumeret? Qualis vero natura illius libri fabularis fuerit, pro certe erui non potest. Suspicari tantummodo licet fuisse eum maiore ambitu, praebuisse varias fabularum formas ac res esse relatas copiosa narratione. Ignoramus quoque, quando compositus sit, etiamsi eum putaverim temporibus Antoninorum (qua aetate Apollodori, quam aiunt, bibliotheca conscripta esse videtur cf. Robert. De Apoll. bibl. Christ. Gr. Lit. Gesch. pag. 571) recentiorem fuisse. Uno loco vidimus fabulae formam Hyginianam repraesentare originem multo priorem quam Quintianam (cf. pag. 55), Hygini vero recensionem nostram a Graecis mythographis pendere recte monet Joannes Dietze: »Quaestion. Hygin.« diss. Kil. 1890 pag. 2, ubi ait: »Fabularum liber non epitome exemplaris Latini, sed interpretatio exemplaris Graeci est.«

Vita.

Natus sum Franciscus Kehmptzow Vismariensis Megalopolitanus anno 1869 die XXVIII mens. August. patre Friderico, matre Augusta e gente Fincke, quam tres annos abhinc praemutara morte mihi ereptam esse valde lugeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus gymnasium frequentavi Vismariense, quod tum florebat auspiciis Theodori Noeltingii. Maturitatis examine perfunctus vere a. 1887 in universitatem Lipsiensem me contuli, ut operam darem studiis philologicis ac theodiscis. Inde autumno a. 1889 Berolinum migravi, ubi per hiemem commoratus Christianam Albertinam universitatem adii ad amplificanda studia atque perficienda. Docuerunt me hice viri doctissimi: Brugmann, Fricke, Hanssen, Heinze, Lipsius, Overbeck, Ribbeck, Wachsmuth, Wundt, Zarncke Lipsienses; Diels, Kirchhoff, Koehler, Paulsen E. Schmidt, Treitschke, Wilcken Berolinenses; Blass, Bruns, Busolt, Deussen, Erdmann, Foerster, Forchhammer, Glogau, Klostermann, Vogt, Wolff Kilienses. Praeterea mihi contigit, ut interessem Lipsiae proseminario philologico per tria semestria, Kiliae exercitationibus historicis Busoltii per duo semestria, philosophicis Glogavii per unum semestre, theodiscis, quas instituerunt Vogt, Gering, Erdmann, per tria semestria. Sodalis fui seminarii regii philologici per tria semestria. Omnibus his viris gratias quam maximas semper habebo, imprimis vero Blassio, Brunsio, Foerstero. Nunquam vero obliviscar, quam singulari benevolentia, dum in studiis Quintianis versor, Ricardus Foerster me semper prosecutus sit.

Theses.

I.

Errant, qui vv. 905 sqq. Antigonae Sophoclis genuinos esse negant. Recipienda vero videtur coniectura Semitheli, qui scribit pro *τέκνων* v. 905., quod praebet Laurentianus, *τέκν' ὧν*.

II.

Pausan. II 16, 7 post verbum »*Αἴγισθος*« lacuna indicanda est. Excidisse autem puto haec fere verba:

»*τῆς μὲν δὴ Ἠλέκτρας τάφος ἐν Φωκίδι ἐστίν, ὡς γράφει Ἑλλάνικος*.

III.

Oed. Col. vv. 119/20 lego:

ὦ ξεῖνε, μὴ θαύμαζε πρὸς τὸ λιπαρές.
τέκν' εἰ φανέντ' ἄελπτα μηκύνει λόγον.

IV.

In Aeschyl. Prom. Vinct. prologo duo tantum histriones in scenam prodeunt. »*Κράτος*« et »*Ἥφαιστος*« »*Βία*« est »*πρόσωπον κωφόν*.« Post v. 81 abit Hephaestus et Promethei partes suscipit, ita quidem, ut in scena sit Promethei imago, ipse histrio tantum audiatur.

V.

Pulcherrima illa femina, quam Faustius in speculo conspicit, (cf. Goethes Faust ed. Loeper v. 2074 sqq.) non est »Helena« neque »Gretchen«, sed »frou Welt.«

VI.

Lingua medii aevi germanica ut non solum in prima gymnasii classe, verum etiam in secunda superiore doceatur, valde optandum est.